DE
FABULA DANAEIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITENBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS SCHWARZ
SLESVICO-HOLSATICUS.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN),
MDCCCLXXXI.

PARENTIBUS BENIGNIS ATQUE CARISSIMIS

HUNC LIBELLUM

PIETATIS GRATIA DEDICAVIT

AUCTOR.

Hac in dissertatione cum fabulam Danaeiam, quomodo scriptores veteres et artifices tractaverint, explanare mihi proprosuerim, primum de poetis et Graecis et Romanis, qui in hac fabula vulgata versati sunt, disseram, deinde, quomodo illa in Italia permutata sit, paucis agam, tum qua ratione fabulam Danaeiam veteres interpretati sint exponam, tum de artificibus, quos fabulae nostrae simulacris effingendae operam dedisse memoriae proditum est, et de artificum operibus nobis servatis, quae ad illam pertinent, verba faciam, denique quid fabula illa antiquissimis temporibus sibi voluerit, paucis dicam.

Ac prima quidem Danaeiae fabulae commemoratio facta est in Iliadis libro ξ, ubi vers. 315. sq. Jupiter in Ida monte Junonis fraude captus huic unquam se adeo amore inflammatum fuisse negat quam illo puncto temporis, neque cum alias feminas pulcherrimas neque cum Danaen amasset, ut vers. 319:

οὐδ' ὅτε περ Δανάης καλλισφύρου Ἀκρισιώνης
ἣ τέκε Περσῆα πάντων ἀριδείκετον ἀνδρων

sc. *ἠρασάμην*, legimus. Quibus e versibus nihil aliud quam Danaen Acrisii filiam a Jove vitiatam Persei matrem factam esse elucet. Totum autem hunc locum inde a vs. 317. usque ad vs. 327. additamentum esse posteriore tempore factum negari vix potest. Quanquam enim cum alii tum Bothius[1]) illos undecim versus nec invenustos et ferendos esse existimavit, et propterea, quia tum licuisset uxoribus inducere pellices, quibus vel pulcherrimis se praeferri gratum fore Junoni videretur[2]), et quod verisimile sit, Homerum eo consilio tot

1) in edit. Il. a. h. l.

2) quod et Heynius attulit in ed. Il. a. h. l,

Jovis amores commemorare, quos nunc contemnit deus, ut quanta sit quamque mirabilis vis cesti, quem gestat Juno, intelligamus, ac postea argumentatione satis diversa Bergkius versus illos defendit,[1] tamen equidem Aristophani Byzantino assentior, qui haec verba et Jovi et huic rerum conditioni parum consentanea damnavit. Cf. Aristonici ad vs. 327 adnot. *ἀθετοῦνται στίχοι ιά ὅτι ἄκαιρος ἡ ἀπαρίθμησις τῶν ὀνομάτων· μᾶλλον γὰρ ἀλλοτριοῖ τὴν Ἥραν ἢ προσάγεται. καὶ ὁ ἐπειγόμενος συγκοιμηθῆναι διὰ τοῦ κεστοῦ δύναμιν πολυλογεῖ. καὶ Ἀριστοφάνης προηθέτει.*

Et omnes fere, qui nostra aetate Iliadis carmina vel ediderunt vel commentati sunt, Dindorfius, Duentzerus, Kochius, Faesius alii[2]) Aristophanis Byzantini et Aristarchi sententia comprobata hos versus undecim repudiaverunt. Fr. Jacobsius quidem ‚Si quis', inquit,[3]) ‚alius in Homeri carminibus de interpolatione suspectus esse potest, hic certo est, in quo sciolus omnes doctrinae suae copias effudisse videtur. Nihil pro meo quidem sensu insulsius hoc amorum catalogo, neque quidquam inertius hoc certe loco et tempore, quo Jupiter coniugi amabilis videri cupit.' — Spitznerus autem ipse nec Jovis ardori nec Junonis dignitati haec verba concinere dicit. Deinde recte Faesius tam multas neque vero omnes feminas a Jove amatas illis versibus enarrari, quibus tantummodo versuum qui antecedunt sententia explicetur, hoc quidem loco absurdum esse adnotat. Praeterea idem cum Bergkio discrepans nullam nos facere iacturam monuit, si versibus illis undecim amissis legamus:

---

1) Gr. litgesch. I, p. 610: ‚Die Kritik hat jene verse streichen wollen, ... allein in diesen Worten liegt eben nur eine gewisse selbstverhöhnung. Wenn man die verse tilgt, dann erscheint die rede des gottes matt und entbehrt alles rhetorischen pathos, worauf es dieser dichter überall abgesehen hat, der weder religiöses gefühl, noch tieferes gemüt besitzt, dem es daher auch gar nicht sonderlich um psychologische wahrheit zu thun ist.'

2) Nuperrime G. Christ de illis versibus idem statuit in Fleckeiseni annall. 1881. p. 146, Iliad. σ vss. 39—49 rectissime comparatis.

3) In Iliad. edita a Spitznero curata a. h. l.

vs. 315. οὐ γάρ πώποτέ μ' ὧδε θεᾶς ἔρος οὐδὲ γυναικὸς,
vs. 316. θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι περιπροχυθεὶς ἐδάμασσεν,
vs. 328. ὥς σέο νῦν ἔραμαι καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ.[1])

Hos igitur versus undecim, quorum duobus Danaes mentio fit, qanquam posteriore aetate fictos esse, quam carmen in quo insunt atque reliquas Iliadis plerasque partes concedere debemus, tamen iam satis priscis temporibus interpolatos esse arbitror. Certe iam ante Pisistrati aetatem in Iliade eos exstitisse nemo negabit. Videntur autem a rhapsodo quodam, qui occasione argumenti illius pluribus explanandi usus est, docte quidem, sed inficete interpolati esse.[2])

Illam igitur fabulae Danaeiae apud Homerum commemorationem vetustissimam in literis Graecis putare debemus. Nam proximus in carminibus epicis de Danae locus exstat in scuto Herculis, quod dicitur, ubi scutum cum multis aliis tum his verbis describitur (vs. 216):

ἐν δ' ἦν ἠϋκόμου Δανάης τέκος ἱππότα Περσεύς.

Quo ex versu nihil aliud accipimus, quam in Iliadis loco de fabula nostra scriptum reperimus.[3]) Sed etiam totam de Danae Perseoque fabulam iam illis temporibus notam fuisse concludere licet ex Hesiodi carmine, quod theogonia dicitur, ubi inde a vs. 270. usque ad vs. 286. certamen Persei cum Graiis Gorgonibusque enarratur. Graecis enim nullam aliam causam Persei ad Graeas Gorgonesque itineris cognitam fuisse, nisi illam, quam apud ceteros poëtas mythographosque infra reperiemus, opinari licet.

Jam ut transeamus ad antiquos mythographos, Hellanicum, quanquam non de Danae ipsa in fragmentis servatis

---

1) Miror, quod Welckerus in libro de Aesch. tril. p. 378 illos undecim versus interpolatos esse non censet. Lachmannum autem (betrachtgg. über Homers Ilias) et G. Hermannum (opusc. V., ubi de Iliad. libris ξ et ο disseruit), quanquam de illis versibus tacuerunt, tamen eos non damnavisse vix crediderim.

2) Simile aliquid censere videtur Prellerus gr. myth.[3] II. p. 59.

3) Cf. etiam Hecat. fr. 358 Müll. τῇ Δανᾷ μίσγεται Ζεύς.

memoriae quidquam tradidit, tamen, quandoquidem Acrisii mentionem fecit,[1]) Danaen quoque commemorasse verisimile est. Pherecydem autem, qui *γενεαλογίας* conscripsit, totam de Danae fabulam, quatenus nobis pristina forma nota est, uberrime tractasse e fragmentis illis, quae scholiasta ad Apollonium Rhod. IV, 1515 affert, intelligimus, ubi in hunc fere modum de Danae historiam enarrat[2]): Acrisio ex Eurydice[3]) cum filiam Danaen procreasset de maribus liberis oraculum sciscitanti deus respondit, filium ex filia natum iri, qui ipsi necem illaturus esset. Id igitur Acrisius pertimescens aëneo sub terra cubiculo[4]) constructo Danaen cum nutrice inclusit.[5]) Jupiter autem in aurum commutatus per impluvium in Danaes sinum delapsus cum ea concubuit.[6]) Postea vero, ubi Acrisius Perseum, quem tres vel quattuor annos natum ludentem viderat, de filia partum esse comperit, a Jove eam compressam minime credens, nutrice supplicio affecta, filiam cum infante in cista conclusit atque in mare proiecit. Quae cista cum in Seriphum insulam delata esset, Dictys eam sustulit et puerum educavit. Imperium autem Seriphi tenebat Polydectes[7]), Dictyis frater, qui Danaes amore captus, cum eius coniugium propter Perseum iam adultum nancisci non posset, amicos et una cum his Perseum convocavit, iisque ob Hippodamiae, Oenomai filiae, nuptias celebrandas eranum se esse collaturum dixit. Ex quo Perseus cum quaereret,

1) Frg. 116. coll. Sturz., 29 Müll.

2) Cf. Eur. frg. ed Wagn. Paris. p. 690 et 695. Singula praeclare interpretatus est Welckerus l. l. p. 378 sq.

3) Genus Danaes paternum recenset schol. Eur. Hec. 887.

4) Pherecyd: *θάλαμον ποιεῖ χαλκοῦν ἐν τῇ αὐλῇ τῆς οἰκίας κατὰ γῆς*, quibus cum verbis cf. praeter Welckerum et Gerhardum in libello de Danae picta aliqua conscripto (Berlin. Winckelmanns-progr. 1854.) p. 8. not. 16.

5) Cf. cum Pherecyd. verbis Pseudophocyl. vs. 215:

Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισιν.

6) Pherecyd.: *ἐκ τοῦ ὀρόφου χρυσῷ παραπλήσιος ῥεῖ, ἡ δὲ ὑποδέχεται τῷ κολπῷ, καὶ ἐκφήνας αὐτὸν ὁ Ζεὺς τῇ παιδὶ μίγνυται.* quae ad verba Prellerus l. l. II. p. 60. not. 2. haec adnotat: ‚Ein erklärender zusatz, denn eigentlich ist der regen das befruchtende.' Aliter Gerhard l. l. p. 8. not. 22.

7) Praeter Welcker. l. l. p. 379. cf. et Preller. l. l. II. p. 61. not. 2.

quaenam convivis symbola afferenda esset, ille vero equum diceret, „Gorgonis caput" respondit Perseus. Postero die rex a reliquis equum poposcit, Persei vero equum non sumpsit, sed ei ut Gorgonis caput afferret, imperavit.

Quod mandatum Perseus diis adiuvantibus praeclarissime confecit.

Reversus autem in Seriphum insulam Perseus matrem cum Dictye propter Polydectae violentiam ad aras confugisse vidit, quapropter regem impetu facto aggressus est. Is amicos convocavit, quibus Perseus aversus Gorgonis caput ostendit; qua re factum est, ut Polydectes et qui cum eo erant in lapides transformarentur. Deinde cum Dictyn Seriphi regem constituisset ipse cum Danae Larissam Pelasgorum profectus est, quo Acrisius Perseum pertimescens se receperat. Perseus autem cum avum iam sibi reconciliasset in certamine discum iaculatus illum invitus interfecit. Quo sepulto Argos se contulit.

Hanc Pherecydis narrationem Apollodorus (p. 42 sqq. Bekk.) secutus esse videtur.[1])

Iam Welckerus ex Pherecydis verbis fontem Pherecydeae narrationis carmen aliquod epicum esse conclusit [2]) Item Gerhardus l. l. p. 3 adnotavit: ‚An die geburt des Perseus von Zeus, ohne einmischung eines sterblichen vaters, geknüpft ... war Danae bereits dem ältesten homerischen sowol, als hesiodeischen epos bekannt und mochte in einem gedicht gleichartigen alters und schlages, einer Phoronis [3]) oder Perseis mehr oder minder selbstständig behandelt worden sein.[4]) Nach solchem epischen vorgang ward der Danaemythos von Pherecydes aufgezeichnet.'

Atque Pherecydem carmen epicum secutum esse non sine probabilitate e tota eius enarrandi ratione coniicere licet, quae

---

1) Cf. Robert, de Apollod. bibl. p. 67. Translata est Apollodori narratio in Zenob. proverb. I, 41: cf. Leutsch. ad h. l. et Schneidewiniparoem. praef. p. XXV.

2) l. l. p. 578.

3) Cf. O. Mueller. gr. litgesch.² I, p. 177. Kinkel, ep. Graec. fragm. I, p. 209 sq.

4) Gerhardus eodem libello p. 8. not. 11 affert etiam Eoeas.

copiosior est atque diligentior, quam aliorum, qui de eadem fabula memoriae aliquid tradiderunt, mythographorum.

Carmen autem epicum illud, quo Pherecydem usum esse statuo, aliquod Hesiodeum fuisse existimaverim.

Versibus enim extremis theogoniae Hesiodeae illis deabus enumeratis, quae cum viris mortalibus se coniunxerunt iisque filios i. e. heroas pepererunt, poeta a musis petit, ut genus feminarum mortalium canant, cf vs. 1019 sq :

αὗται μὲν θνητοῖσι πὰρ' ἀνδράσιν εὐνηθεῖσαι
ἀθάναται γείναντο θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα.
νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε, ἡδυέπειαι,
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Quibus e versibus aliud carmen exstitisse apparet, quod de feminis mortalibus, quae heroas a diis ediderunt, egisse videtur; in quo carmine Danaes quoque expressam fuisse fabulam quis est qui neget?

Duo autem exstabant carmina huius argumenti, quae ab Hesiodo composita esse dicebantur, *κατάλογος γυναικῶν* et *ἠοῖαι* [1]). Jam cum dubitari possit, utrum carminum illorum Pherecydes secutus sit, equidem Eoeas, quarum enarratio admodum copiosa atque subtilis fuit, quam Catalogum, quo satis breviter atque presse quoad e fragmentis [2]) intellegi possit, omnia enarrata erant, pro Pherecydis fonte habere maluerim, cum id carmen, ex quo ille fabulam nostram deprompsit, uberius fuerit necesse sit.

Jam vero his expositis transire liceat ad poëtas lyricos.

Ac primum quidem in has partes vocandum est Simonidis Cei carmen illud ‚ex omni antiquitate tenerrimum' [4]), quod

1) De quibus cf. O. Mueller. l. l. I. p. 168 sq., Bergk. l l. I. p. 1001 sq.

2) Kinkel., fragm. epic. p. 90—135 et p. 135—146. cf. et Bergk. l. l. I. p. 1003 et 1005. Mueller l. l. I. p. 171.

3) l l. I. p. 1005.

4) Schneidewin. Simon. Cei carm. rel. p. 74, quo libro singulae quoque huius carminis partes explicatae sunt. cf. et Welcker. l. l. p. 380. Extremo autem tempore a Nitzschio hoc carmen tractatum est in Mus. Rhen. XXIII. p. 480 sq., a Blassio in philol. XXII, p. 140 sq., quos quicunque aliquid de verborum lectione cet. discere vult accuratius, adeat.

nobis traditum est apud Dionys. Hal. de compos. verb. cap. 36: cf. Athen deipnosoph. IX, 396, E [1]). Describitur autem, ut Athenaei verbis utar, *ἡ διὰ πελάγου φερομένη Δανάη τὰς ἑαυτῆς ἀποδυρομένη τύχας.*

Danaen quidem ab Acrisio patre cista conclusam in mare proiectam esse etiam Pherecydes tradit, qui quanquam omnes fabulae nostrae singulas partes uberrime tractavit, tamen quam multis in mari periculis Danae una cum filiolo opposita fuerit non descripsit [2]). Quod quidem argumentum Simonidem ex suo ingenio finxisse negari vix potest.

Deinde fabula Danaeia tractata est a Pindaro locis compluribus.

Ac primum quidem exstant verba haec in c. nem. X. vs. 10:

καὶ γυναιξὶ καλλικόμοισιν ἀριστεύει πάλαι
Ζεὺς ἐπ' Ἀλκμήναν Δανάαν τε μολὼν τοῦτον κατέφανε λόγον.

His ex verss. Jovem et aliis cum feminis et cum Danae concubnisse intellegimus. Idem abundantius narratur acceduntque aliae fabulae nostrae partes in c. Pyth. XII. vs. 11 sq.:

Περσεὺς ὁπότε τρίτον ἄνυσσεν κασιγνητᾶν μέρος,
εἰναλίᾳ τε πέτρᾳ λαοῖσί τε μοῖραν ἄγων.
ἤτοι τό τε θεσπέσιον Φόρκοιο μαύρωσεν γένος
λυγρόν τ' ἔρανον Πολυδέκτᾳ θῆκε ματρός τ' ἔμπεδον
δουλοσύναν τό τ' ἀναγκαῖον λέχος,
εὐπαράου κρᾶτα συλάσας Μεδοίσας
υἱὸς Δανάας· τὸν ἀπὸ χρυσοῦ φαμεν αὐτορύτου
ἔμμεναι.

Quibus in versibus tota fabula, quam apud Pherecydem reperimus, continetur; sed differentia aliqua est in vs. 14 et 15:

..θῆκε ματρός τ' ἔμπεδον
δουλοσύναν τό τ' ἀναγκαῖον λέχος.

---

1) Bergk poet. lyr. ³ p. 1130.
2) Cf. Apoll. Rhod. IV, 1515:
οἷα δὲ καὶ Δανάη πόντῳ ἔνι πήματ' ἀνέτλη
πατρὸς ἀτασθαλίῃσιν.

Hoc igitur carmine, cum apud Pherecydem (quem ex antiquiore poeta hausisse supra statuimus) Polydectes tantummodo a Danae ut secum matrimonio coniungatur, petat, Perseo absente Polydectem illam et diuturna servitute tenuisse et cum ea stuprum fecisse enarratum est.[1]) Verbis autem

τὸν ἀπὸ χρυσοῦ φαμεν αὐτορυτοῦ
ἔμμεναι

ubi Jupiter imbre aureo cum Danae coierit, Perseum natum esse significatur. Similiter Pindarus de fabula Danaeia verba fecit in c. Pyth. X. vs. 44 sq.:

θρασείᾳ δὲ πνέων καρδίᾳ
μόλεν Δανάας ποτὲ παῖς, ἁγεῖτο δ' Ἀθάνα
ἐς ἀνδρῶν μακάρων ὅμιλον· ἔπεφνέν τε Γοργόνα, καὶ
ποικίλον κάρα
δρακόντων φόβαισιν ἤλυθε νασιώταις
λίθινον θάνατον φέρων.

Attamen aliam de hac fabula sententiam a Pindaro ut dicunt prolatam legimus apud schol. Iliad. ξ vs. 319, in quo fabula vulgata de Jove per pluviam auream in Danaes gremium descendente enarrata haec sequuntur verba: .. *αὕτη* (sc. *Δανάη*), *ὥς φησι Πίνδαρος καὶ ἕτεροί τινες, ἐφθάρη ὑπὸ τοῦ πατραδέλφου αὐτῆς Προίτου. ὅθεν αὐτοῖς καὶ στάσις ἐκινήθη.* Horum pleraque ex Apollodoro II, 4, 1 petita esse, qui tamen nihil de Pindaro scripserit, recte Boeckhius[2]) admonuit. Quodsi illa, quae scholiasta de Pindaro affert, vera esse putaremus, hic prorsus aliam traditionem quam solitam secutus esse videretur. Atqui iis, quos supra attuli locis, quae vulgo de Danae

---

1) Eandem sententiam scriptam legimus in epigr. illo Cyzicensi (cf. Anthol. Pal. III, 11):

Ἔτλης καὶ σὺ λέχη Δανάης, Πολυδέκτα μιαίνειν,
δυσφήμοις εὐναῖς τῷ Διὶ μεμψάμενος
ἀνθ' ὧν ὄμματ' ἔλυσε τὰ Γόργονος ἐνθάδε Περσεὺς
γυῖα λιθουργήσας, ματρὶ χαριζόμενος,

et apud Strabon. X, 487: ... *τοῦτο δὲ πρᾶξαι τιμωροῦντα τῇ μητρί, ὅτι αὐτὴν Πολυδέκτης ὁ βασιλεὺς ἄκουσαν ἄγεσθαι προείλετο πρὸς γάμον συμπραττόντων ἐκείνων* (sc. *τῶν Σεριφίων*).

2) In edit. Pind. ad fragm. 38. (tom. II, 2. p. 635).

memoriae prodita sunt ipse enarravit. Maximam autem offendendi causam praebet narrationis illius indoles a Pindari ingenio satis aliena: hunc enim Persei genus atque originem tantopere elevasse parum credibile est. Atque illud quidem constat, posterioribus temporibus Danaes fabulam peivagatam nonnullos aut in dubitationem vocasse aut interpretari conatos esse ita ut Apollodorus et scholiasta nobis illam tradunt. Nomen autem Pindari fortasse aliquis, ut his verbis maiorem praeberet fidem, male adiunxit, quandoquidem Pindarum saepius numina et dignitatem deorum veritum fabulas vulgatas mutasse e carminibus eius elucet. Nota sunt quae de Pelope Pindarus protulit; cf. etiam carm. Olymp. I, vs. 28 sq.:

ἦ θαυματὰ πολλά, καί πού τι καὶ βροτῶν φάτιν ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι [1]).

Neque igitur Welckero [2]) Gerhardoque [3]), qui eadem de causa a Pindaro Danaeiam quoque fabulam illa ratione mutatam esse coniecerunt, assentior. Ceterum etiam errore aliquo commemorationem Pindari apud. Homeri scholiastam ortam esse statucre possumus, modo veteres scriptores in referendis aliorum dictis non summa omnes diligentia agere, multaque ex memoria potius, saepe infida, quam ex ipsis libris promere reputemus.

Sequitur, ut cum in lyricorum Graecorum operibus, qualis fuerit huius fabulae tractatio explicaverimus, nunc quomodo de hac re poetae scaenici egerint videamus.

Sed priusquam de poetis tragicis disputem, libros illos virorum doctissimorum, quibus hac in dissertationis parte maxime usus sum, hoc loco afferre liceat.

De tragoediarum quidem huc pertinentium consilio et fragmentorum disponendorum ratione quod sciam copiosius

---

1) Uberius de hac re disputaverunt O. Mueller. prolegg. p. 86 sq., Welcker, gr. götterl. I, p 67. Fr. Jacobs, scr. var. III, p 98 sq.

2) l. l. p. 389.

3) l. l. p. 4.

egerunt A. Matthiaeus (Eurip. IX, p. 138—160), Welckerus (Aesch. trilog. p. 378—390; gr. tragg. I, p. 348; p. 352. II, p. 636 sq, p. 668 sq.), Hartungus (Eurip. restitutus I, p. 86—94; p. 365—374), Schoellius (in libro de tetralogia tragg. Attic. I, p. 156 sq.), Wagnerus (trag. gr. fragm. I, p. 122—123; p. 198—202; p. 240—241; p. 313—314. II, p. 154—173 = ed. Par. p. 690—699).

Nunc ut quae pertinent ad singula disseram, ex argumento fabulae Aeschyleae quae Septem adv. Thebas inscribitur Aristiam fabulam docuisse, cui nomen inditum erat *Περσεύς*, in aperto est. In qua tragoedia Danaen saepius commemoratam fuisse statuere debemus, etiamsi quomodo et qua occasione dicere omnino non possumus.

Similiter Danaes nonnunquam mentionem factam esse arbitror in Aeschyli dramate, quod *Φορκίδες* [1]) nominabatur, quanquam et hoc dramate fabula Danaeia ipsa non tractata esse videtur, sed sicut ex ipso titulo concludi potest, quam magna pericula Perseus apud Gorgones subierit poetam effinxisse verisimile est. Manifestum id est praeterea et e fragmento illo uno, quod nobis tradidit Athen. IX, p. 402 B: *οἱ περὶ τὴν Σικελίαν κατοικοῦντες ἀσχέδωρον καλοῦσι τὸν σύαγρον. Αἰσχύλος γοῦν ἐν Φορκίσι παρεικάζων τὸν Περσέα τῷ ἀγρίῳ τούτῳ συΐ φησιν·*

ἔδυ δ᾽ ἐς ἄντρον ἀσχέδωρος ὥς

quae verba recte ut equidem existimo Welckerus [2]) de Perseo in Gorgonum antrum, ut Medusam interficeret invadente dicta esse suspicatus est — et ex Eratosth. catast. c. 22 (p. 130. sq. Rob.): *Περσεύς . . . δοκεῖ δὲ καὶ ἅρπην παρ᾽ Ἡφαίστου λαβεῖν ἐξ ἀδάμαντος ὥς Αἰσχύλος φησὶν . . ἐν Φορκίσιν.* Eratosthenem autem in tota hac narratione Aeschyli fabulam secutum esse probabilis est sententia Roberti.

Deinde commemoratur in Aeschyli indice fabularum drama, cui nomen *Πολυδέκτης* erat. Qua in tragoedia, quod quidem e nomine intellegimus, illa fabula, quam schol. Apoll. Rhod.

---

1) De nomine cf. Preller. gr. myth.³ II. p. 62.

2) Aesch. tril. p. 386.

1415 nobis e Pherecyde tradidit, depicta esse videtur. Quod si statuimus, Danaen in hoc quoque dramate saepius commemoratam fuisse opinari licet; ceterum aliud de hac tragoedia testimonium non exstat. Welckerus[1]) autem satis multa de Polydecta tragoedia suspicatus est, quae certa ratione neque comprobari neque refutari vix poterunt. Argumentum enim tragoediae huius Aeschyleae receptum esse iudicat in Hygini de Acrisio Polydectaque fabulis, ubi haec scripta sunt verba[2]): ‚Danae Acrisii et Aganippes filia. Quam (sc. Danaen) pater ob stuprum inclusam in arca cum Perseo in mare deiecit. ea voluntate Jovis delata est in insulam Seriphum. Quam piscator Dictys cum invenisset effracta vidit mulierem cum infante, quos ad regem Polydectem perduxit, qui eam in coniugio habuit et Perseum educavit[3]) in templo Minervae. Quod cum Acrisius rescisset, eos ad Polydectem morari, repetitum eos profectus est. Quo cum venisset, Polydectes pro eis deprecatus est: Perseus Acrisio avo suo fidem dedit, se eum nunquam interfecturum. Qui cum tempestate retineretur, Polydectes moritur. Cui cum funebres ludos facerent, Perseus disco misso, quem ventus distulit, infregit caput Acrisii et eum interfecit. Ita quod voluntate sua noluit, deorum factum est. Sepulto autem eo Argos profectus est regnaque avita possedit.' Deinde legimus in Hyg. fab. 273: Perseus, Jovis et Danaes filius, funebres (sc. primus ludos fecit) Polydectae nutritori suo in insula Seripho, ubi discum iaculatus[4]) percussit Acrisium avum suum et occidit.'

Quibus in fabulis singulare est, quod Hyginus nomen matris Danaes, quae vulgo Eurydice nominatur, Aganippen fuisse tradit; deinde quod Polydectes, qui apud alios, qui hanc fabulam enarraverunt, Danaen, ut matrimonio secum coniungat cogere vult, hic et illam in coniugio habet et Perseum educat;

---

1) Aesch. tril. p. 386.

2) Fab. 63. ed. Maur. Schmidt.

3) Cf. schol Iliad. ξ 319: .. *Συνέβη ἀνατραφῆναι τὸν παῖδα παρὰ Πολυδέκτῃ, ἢ ὡς ἔνιοί φασιν, ὑπὸ Δίκτυος τοῦ ἀδελφοῦ Πολυδέκτου.*

4) Ita cum Perizonio lego pro ‚dum luctatur'. cf. et Welcker. l. l. p. 389. not. 660.

tum, quod Acrisius, qui secundum omnium aliorum scriptorum de illo referentium narrationes Larissae moritur, hic Seriphi interit. Denique ex tota Hygini fabula sequitur, Perseum a Polydecta ad Gorgones mitti non potuisse, ut illo ab his interfecto rex ipse cum Danae stuprum faceret. Quae sententia mea affirmatur, quod Hyginus hac in fabula 63 nihil de Gorgonibus dicit, quanquam in fab. 64 et Gorgones et Perseum commemorat, sed hic nihil de Polydecta.

Hanc igitur Hygini narrationem ex Aeschyli Polydecta depromptam esse ut demonstraret, Welckerus complura haud incredibilia quidem, sed ad arbitrium suum facta disseruit.

Maximeque hic ad illud iudicium adductus esse videtur ex ea sententia, quam male inesse putavit in Hygini verbis ‚qui cum tempestate retineretur', in quibus pronom. relat. ‚qui' ad Perseum refert a Gorgonibus redeuntem. Welckeri autem sententiae hoc potissimum opponi potest, singulari illi narrationi, quam Hyginus affert, nullo alio loco nobis traditam esse similem. Sophoclem quidem Euripidemque in tragoediis, quae ad nostram fabulam pertinent, famam vulgatam secutos esse infra explicabimus. Denique si Hyginum ex Polydecta Aeschyli tragoedia fabulam suam enarrasse existimaremus, in Phorcidibus quoque alia de causa quam pervagata Perseum Medusam interfecisse necesse esset statui, cum opinari liceat Aeschyli tragoedias Polydectam et Phorcides ad unam trilogiam esse referendas.

Neque vero Aeschylum in unius trilogiae tragoediis diversas adhibuisse fabulas verisimile est.

Quae cum ita sint, Hyginum non ex Aeschyli tragoedia fabulam suam deprompsisse arbitror. At quem alium poetam vel mythographum hac in fabula ille secutus sit in dubio relinquere malo, quam coniecturam afferre, quam argumentis accuratius firmare non possim [1]).

---

1) Ceterum cf. Welcker., qui de Hyg. verbis ‚qui eam in coniugio habuit' haec adnotavit tragg. gr. II p. 637: ‚doch ist der zusatz ungelehrt, im widerspruch mit alten sagen und vielleicht nur von einem späteren mythographen eingemischt'. Cf. etiam Vatic. myth. I, 157, de quo infra p. 39.

Quibus explicatis de alia Welckeri[1]) sententia, quae minime mihi placet, pauca disseram. Ille enim apud Hesychium s. v. *καθαίρομαι γῆρας* legit *ἐκδύομαι· Αἰσχύλος Δανάῃ* pro codicis lectione quae est *δαίσι*. Itaque Aeschylum tragoediam, quae *Δανάῃ* inscripta fuerit, docuisse arbitratus hac ipsa sententia maxime impulsus est, ut trilogiam, qua fabula Danaeia ab illo tractata sit, restitueret.

Scripturam autem *Δανάῃ* falsam et potius cum Musuro *Δαναΐσι* legendum esse G. Hermannus aperte demonstravit[2]). Jam supra quidem probabile esse dixi Aeschylum in tractanda fabula nostra trilogiae formam adhibuisse. Sed non Danaen tertiam tragoediam fuisse, ut Welckerus statuit, sed huc repetendum esse drama *Δικτυουλκοί*, rectissime G. Hermannus opinatus est. Quorum de argumento quanquam neque quidquam memoriae traditum est, neque ex paucis quae supersunt fragmentis cognosci potest, tamen ille ex piscatoribus Seriphiis, in quorum retia Danae cum Perseo exposita inciderit, tragoediae nomen inditum esse argute intellexit. Idem vir doctissimus dilucide ostendit Welckeri sententiam[3]), non *Δικτυουλκοί*, sed *Δικτυουργοί* legendum et tragoediam *Δικτυουργοί* ad illam trilogiam referendam esse, quae ad Athamantem pertineat, prorsus esse reiiciendam.

Quae cum ita sint, Dictyulcos primam, alteram Phorcides, tertiam Polydectem tragoediam fuisse arbitror.

Sed quoniam Aeschylus quomodo fabulam Danaeiam tractaverit, quoad eius fieri potest, enucleavimus, inquirere licet ex poesi Sophoclea quid ad fabulam illam pertineat.

Ac primum quidem in Sophoclis tragoediis, quae huc revocandae sunt, ea numeratur, cui nomen inditum est *Ἀκρίσιος*; deinde eiusdem poetae tragoedia *Δανάη* saepius commemoratur, tum illa, quae *Λαρισαῖοι* appellatur; in qua Acrisii

---

1) Aesch. tril. p. 378 sq.

2) In relatt. societ. saxon. I, p. 121. sq. = opusc. VIII, p. 175 sq

3) Aesch. tril. p. 336 sq. et append p. 124 sq.

mortem expositam fuisse constat. Cum autem homines docti in eo offenderent, quod Sophocles, si de tribus diversis tragoediis cogitaremus, eandem fabulam iterum tractasse videretur, *Ἀκρίσιος* titulum nihil esse nisi aliam significationem aut pro Larisaeorum [1]) aut Danaes tragoedia coniecerunt.

Sed Larisaeos non idem fuisse drama atque Acrisium iam Jacobsius tanta probabilitate ostendit [2]), ut plane ei assentiendum esse censeam [3]). Quodsi ille adnotat, num tragoedia *Ἀκρίσιος* eadem sit atque *Δανάη*, aut difficile aut omnino non posse enucleari, cum ex hac tragoedia perpauca iam supersint verba, haud comprobaverim. Welckerus quoque [4]) rem in medio reliquit; dicit enim, cum Acrisius in duabus fabulis partes habuerit, fieri potuisse, ut pro Acrisio, quo haec tragoedia facilius a Larisaeis distingueretur, etiam Danaes nomen adhiberetur: nam Danaen sine dubio idem argumentum complexam esse atque Acrisium. Cogitari tamen posse, Sophoclem hoc argumento etiam in dramate satyrico usum esse [3]).

Sed quod attinet ad perpauca illa quae Jacobsius commemorat verba: quid in dramate, cui Danaes nomen erat, tractatum fuerit, suspicari saltem possumus ex frg. 169 [5]):

οὐκ οἶδα τὴν σὴν πεῖραν· ἓν δ' ἐπίσταμαι,
τοῦ παιδὸς ὄντος τοῦδ' ἐγὼ διόλλυμαι.

Quae verba Wagnerus [6]) dici potuisse existimat et ab Acrisio et a Polydecta. Statuit autem, praeter Larisaeos duas tragoedias fuisse Danaen et Acrisium, et Acrisium quidem in universum idem argumentum habuisse quod Euripides in Danae [7]) spectandum proposuerit, Danaen vero Sophocleam continuisse eam historiam quamvis longe alia ratione tractatam, quam Aeschylus in Polydecta, Euripides in Dictye [7]) repraesentaverit.

---

1) Ita Brunckius
2) In additam. ad Sulzeri theor. art. IV, p. 122.
3) Cf. Wagner. l. l. I. p. 198.
4) Gr. tragg. I. p. 349.
5) Coll. Nauck.
6) l. l. p. 198 et 240.
7) Cf. infra p. 30.

Ex mea autem sententia nemo illa verba facere potuit nisi Acrisius. Nam ex verbo *παιδὸς* concludere licet, Perseum, de quo solo illis versibus sermo esse potest, atque ita quidem ut praesentem eum adfuisse statuendum sit propter verbum *τοῦδε*, adhuc puerum esse. Quod si ita se habet, neque Polydectem puniri potuisse a Perseo, neque Perseum iam tum Medusae caput petiisse manifestum est. Sed facile verba illa interpretari possumus, si ea ab Acrisio ad Danaen de Perseo adhuc parvulo dicta esse intellegimus. Quae cum ita sint, in dramate Danaes nomine inscripto Danaen in exsilium missam proposuisse poetam crediderim. Eandem autem fabulam tractatam fuisse dramate, quod *Ἀκρίσιος* nominabatur, Jacobsius, si quid e fragmentis potest colligi [1]) recte demonstravit. Jam igitur restat, ut aut cum Welckero titulum qui est *Δανάη* interdum positum esse pro Acrisio arbitremur, aut illud, quod idem Welckerus [2]) et Ribbeckius [3]) coniecerunt, Sophoclem argumentum illud dramate et tragico et satyrico tractasse probemus. Sed equidem cum Wagnero [4]) vix credibile puto, idem argumentum dramate satyrico et tragico exprimi potuisse ab eodem poeta, minime vero fabulam Danaeiam, quia ex Welckeri ipsius verbis [2]) Danaen cum Perseo parvulo coniunctam fuisse cum satyrorum choro parum probabile videtur; deinde quod quanquam e Danae dramate sex fragmenta afferuntur apud veteres scriptores, tamen ne semel quidem appositum est *σάτυροι*, quod verbum in fabularum satyricarum commemoratione haud raro legitur. Qua de re potius cum Gerhardo [5]) Acrisium tragoediam Sophocleam fuisse, quae promiscue Danae quoque appellata est, propter eam quam ex Welckeri sententia iam supra attuli causam, suspicor.

Nunc, ut ea quae ad singula pertinent, paucis explicemus, initio fabulae, cui titulus fuit *Ἀκρίσιος ἢ Δανάη*, fortasse Acri-

---

1) Cf. Nauck. l. l. p. 113
2) Gr. tragg. I. p. 349.
3) Trag. Rom. p. 33.
4) l. l. I. p. 198.
5) l. l. p. 3.

sius, accepto nuntio Danaen Perseum peperisse, illam ante se ductam de patre filioli interrogat. Deinde fortasse filiae cum Jovem patrem nominanti Acrisius non credat, illa iterum se pluvea aurea a Jove esse vitiatam pluribus verbis affirmat, cui respondet Acrisius frg. 61:

ῥῆσις βραχεῖα τοῖς φρονοῦσι σώφρονα
πρὸς τοὺς τεκόντας καὶ φυτεύσαντας πρέπει,
ἄλλως τε καὶ κόρῃ τε κἀργείᾳ γένος,
αἷς κόσμος ἡ σιγή τε καὶ τὰ παῦρ' ἔπη.

Fortasse huc etiam pertinet frg. 60:

δῆλον γάρ· ἐν δεσμοῖσι δραπέτης ἀνὴρ
κῶλον ποδισθεὶς πᾶν πρὸς ἡδονὴν λέγει.

Deinde Acrisius Danaen in cistam iaci iubet, sed propter id solum, ut ipse servetur. cf. frg. 169, de quo supra iam verba fecimus, et frg. 63:

τοῦ ζῆν γὰρ οὐδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ,

et frg. 64: *τὸ ζῆν γάρ, ὦ παῖ, παντὸς ἥδιστον γέρας·*
θανεῖν γὰρ οὐκ ἔξεστι τοῖς αὐτοῖσι δίς.

Chorus autem de Danaes rebus sollicitus, cum haec ab Acrisii servis in aedibus, ut de crimine eius pater diiudicet, comprehensa domum plangore compleat, fortasse exclamat frg. 58:

βοᾷ τις ὤ·
ἀκούετ'; ἢ μάτην ἀλυκτῶ;
ἅπαντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ.

Reliqua fragmenta quanquam etiam difficilius explicari atque inter se coniungi possunt, tamen Welckeri sententia probabilis mihi esse videtur, qui frg. 62:

θάρσει γύναι· τὰ πολλὰ τῶν δεινῶν, ὄναρ
πνεύσαντα νυκτός, ἡμέρας μαλάσσεται

a choro dictum esse censet. Quo autem tempore chorus Danaen his verbis allocutus sit, accuratius definiri nequit.

Quae supersunt singula huius tragoediae verba, quomodo ad fabulam nostram pertineant, probabilis interpretatio vix inveniri potest.

Nunc ut ad alteram tragoediam Sophocleam, quae ad fabulam nostram referenda est, transeamus, *Λαρισαῖοι*, quod cum ex nomine tum ex fragmentis intellegi potest, de morte Acrisii agebant. Argumentum autem huius fabulae haud dubie iis describitur, quae tradit Pherecydes apud schol. Apoll. Rhod. IV, 1091 [1]).

Ac primum quidem frg. 347.:

πολὺν δ' ἀγῶνα πάγξενον κηρύσσεται,
χαλκηλάτους λέβητας ἐκτιθεὶς φέρειν
καὶ κοῖλα χρυσόκολλα καὶ πανάργυρα
ἐκπώματ' εἰς ἀριθμὸν ἑξήκοντα δίς

ad Acrisium pertinet, quod elucet ex Athen. X, p. 466. B.[2])

Illum igitur ipsum praemia victoriae proposuisse apparet.[3]) Deinde frg. 348.:

καί μοι τρίτον ῥίπτοντι Δωτιεὺς ἀνὴρ
ἀγχοῦ προσῆψεν Ἔλατος ἐν δισκήματι

certe e certaminis alicuius narratione desumptum est. Sed num Welckerus haec verba de certamine illo agere quo Acrisius interfectus sit, recte iudicet, decerni non potest.

Quibus ex fragmentis et ex nomine tragoediae intellegitur, Acrisium in hac tragoedia mortuum esse Larissae, non, quod apud Hyginum narratum legimus, Seriphi.

Reliqua autem fragmenta qua ratione cum tragoedia Sophoclea contexta fuerint, perspicuum non est.

Denique Sophocles fabulam Danaeiam paucis commemorat in Antig. vs. 944. sq.:

ἔτλα καὶ Δανάας οὐράνιον φῶς
ἀλλάξαι δέμας ἐν χαλκοδέτοις αὐλαῖς·
κρυπτομένα δ' ἐν τυμβήρει θαλάμῳ κατεζεύχθη

---

1) *αὐτὸς δὲ κτλ.* cf. Apollod. II, 4, 4; Pausan. II, 16, 2.

2) *ὁ δὲ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τοῖς Λαρισαίοις Ἀκρίσιος καὶ αὐτὸς ἐκπώματα ὅσα πλεῖστα εἶχεν, ὥς φησιν ὁ τραγικός·* sequuntur verba frg. 347.

3) Cf. Welcker. Gr. tragg. I, p. 352.

καίτοι καὶ γενεᾷ τίμιος ὦ παῖ, παῖ
καὶ Ζηνὸς ταμιεύεσκε γονὰς χρυσορύτους,

quae verba et quid valeant et cur hoc loco dicta sint, optime scholiasta explicat[1]).

Atque haec quidem de Sophocle. Nunc Euripides quomodo in componendis duabus tragoediis ad fabulam nostram pertinentibus, quibus *Δανάη* et *Δίκτυς* tituli fuerunt, versatus sit, videamus.

Quarum tragoediarum, ut fere fit in Euripide[2]), multo plura fragmenta servata sunt quam reliquarum, quae eandem rem complexae erant, fabularum.

Ac primum quidem ut a Danae explicanda initium faciamus, inprimis quo loco, utrum Seriphi[3]) an Argis[4]) fabulam illam agi poeta voluerit nos evolvere opus est. Quod ad explanandum maxime iuvat argumentum huius tragoediae quod indicat Joannes Malalas chron. p. 34, 19: *Περὶ ἧς* (sc. *Δανάης*) *ἐμυθολόγησεν Εὐριπίδης ὁ σοφώτατος ἐν τῇ συντάξει τοῦ αὐτοῦ δράματος ἐν κιβωτίῳ τινὶ βληθεῖσαν καὶ ῥιφεῖσαν τὴν Δανάην, ὡς φθαρεῖσαν ὑπὸ Διὸς μεταβληθέντος εἰς τὸν χρυσόν.* Elucet enim his ex verbis, Euripidem in Danae ex parte quidem quomodo Acrisius filiam abegerit explicasse. Attamen Matthiaeus nescio quo iure in hunc modum disputat: ‚Argumentum', inquit, ‚fabulae, quod fuit, et quae partium descriptio, difficile est dicere; nam qui loci ex ea laudantur, ii fere sententias ad universum genus pertinentes continent, ut ii in aliis etiam fabulis locum invenire potuerint.' Quae illius sententia de nonnullis quidem fragmentis recta est; sed etiamsi Welckero

1) Ad Soph. Antig. v. 944: *παραμυθούμενος ὁ χορὸς τὴν Ἀντιγόνην εἰς παράδειγμα τὴν Δανάην εἰσάγει, ὅτι καὶ ἐκείνην ὁ πατὴρ Ἀκρίσιος, διότι ἐν πύργῳ οὖσα ἔγκυος γέγονεν ὑπὸ Διός, χρυσοῦ γενομένου καὶ καταρρυέντος ἐπὶ ταύτην ἀπὸ τοῦ τέγους, ὀργισθεὶς ἐν χαλκῷ κιβωτίῳ μετὰ τοῦ παιδὸς ἐνέκλεισεν. ἔστι δὲ τὸ χαλκοδέτοις αὐλαῖς καὶ τὸ τυμβήρει θαλάμῳ ταυτό.*

2) Cf. Bernhardy. gr. litgesch.³ II, 2, p. 444. Nauck. de Eur. ingenio (in Eur. ed. Lips. 1857) p. XXXVI. Valcken diatr. in Eur. init.

3) Ita Matthiaeus.

4) Ita Welckerus, Wagnerus.

non assentior, qui omnia huius tragoediae fragmenta explicar- conatus est, tamen plura quam Matthiaeus aliqua ex parte interpretari conabor. Matthiaeus enim ‚Unum', pergit, ‚est frg. 325:

Τάχ' ἂν πρὸς ἀγκάλαισι καὶ στέρνοις ἐμοῖς
πηδῶν ἀθύροι καὶ φιλημάτων ὄχλῳ
ψυχὴν ἐμὴν κτήσαιτο. ταῦτα γὰρ βροτοῖς
φίλτρον μέγιστον αἱ ξυνουσίαι πάτερ,

e quo de temporum ratione ac personarum conditione ac fortuna aliquid suspicari possis: in eo quippe loquitur mulier, liberis adhuc carens, ut videtur, de voluptate e puero in sinu ludente percipienda, sermone ad patrem converso. Haec si Danae fuit, dicere illa non potuit Argis, cum a Jove compressa partus tempore instante patris iram timeret. Nihil igitur restat nisi ut Danaen Seriphi, Polydectae nuptam, e quo nondum pepererat, haec patri dixisse, qui Danaen et Perseum repetitum in Seriphum venerat, ut est apud Hyginum fab. 63 [1]), statuamus.' Quae Matthiaei sententia minime recta est. Danaen enim vel Argis ita dicere potuisse iam Welckerus [2]) fusius explicavit, qui illis verbis a Danae expressum esse censet, quam magna filio procreato laetitia afficeretur. Accedit quod Danae a Jove ipso mire compressa se innocentem esse putabat. Deinde Argis scenam dramatis fuisse probabile est propter prologum illum Pseudo-Euripideum [3]), qui exstat apud Nauckium p. 552—554. Welckeri enim et Fritzschii [4]) opinio, qui cum auctori huius fragmenti aliquam famam aut ipsa fragmenta genuinae Danaes Euripideae ante oculos habuisse suspicantur, tum personarum catalogum Pseudo-Euripidem illum non emenatitum esse existimant, veri non est dissimilis. Tum si Seriphum statuimus, fere omnia genuinae tragoediae fragmenta nisi libere atque ad nostrum arbitrium interpretamur, explicationem vix

1) De qua iam supra p. 15 sq. egimus.

2) Gr. tragg. II, 611.

3) Quem Fr. Jacobsius singulari commentatione, repetita in eius script. var. V, p. 607—35. tractavit.

4) Ad Aristoph. Thesmoph. vs. 412.

admittunt, ut Matthiaeus ipse iudicio illo supra allato quodammodo concedit. Denique Sophoclem eam fabulae partem, quae Argis agebatur, tragoedia illa cui *Δανάη ἢ Ἀκρίσιος* nomen fuit, quae Seriphi, Polydecta tractasse supra commemoravimus. Euripidem igitur in fabula tractanda Sophoclem secutum potius ea quae Seriphi agebantur Dictye dramate, de quo infra, quae Argis, Danae tractasse haud improbabile est. Quae cum ita sint, illud quoque efficitur ut ea, quae Hyginus fab. 63 narravit, Danaae Euripideae nullo modo materiam praebuerint, cum ea ad Acrisium potius et Perseum neque vero ad Danaen pertíneant. Euripideum drama, si haec continuisset, nullo modo *Δανάη* inscribi potuisset; aptissime vero quae Apollodorus tradit, tragoediae argumentum effecisse Welckerus praeclare perpexit [1]. Accedit quod Hyginus Danaen iterum ex aliquo praegnantem factam esse non narravit, quod Matthiaeus de Polydecta arbitratur. Denique Euripidem Dictye dramate prorsus aliam atque quam Hyginus affert famam in fabula nostra tractanda secutum esse videmus [2]; ab eodem autem poeta eandem fabulam alio loco alio modo tractatam esse vix licet statuere.

Tempus autem quo fabula acta est, nos latet; nam quas affert causas Hartungius [3], ut quae ad illud tempus pertineant, eruat, plane reiiciendas esse omnes homines docti concedent.

Nunc ut quae ad singula pertinent exponamus, quae et ex fragmentis et ex prologo illo de genuina tragoedia coniici possint, videamus. Ac primum quidem ex argumento illius prologi cistam, in qua Danae erat cum Perseo filiolo conclusa, a Nereïdibus Seriphum ductam esse enarratur [4]. Deinde personas huius tragoediae Mercurium, Danaen, nutricem, Arisium,

---

1) Cf. Wagner. l. l. II, p. 165.

2) De hac tragoedia cf. infra p. 30 sq.

3) l. c. I, p. 60.

4) ... *ἰδοῦσαι δὲ ταῦθ' αἱ Νηρηίδες καὶ κατελεήσασαι το γεγονος ἐμβάλλουσι τὴν κιβωτὸν εἰς δίκτυα Σεριφίων ἁλιέων κἀντεῦθεν περιεσώθη ἥ τε μήτηρ καὶ τὸ βρέφος.*

nuntium, chorum, Minervam fuisse, quae personae[1]) in eodem illo argumento enumerantur, valde probabile est.

Ad chorum autem huius fabulae e mulieribus constantem[2]), fortasse Danaes sociis, haud dubie pertinent quae Pollux IV. 16 111 habet; et e feminis chorus Pseudo-Euripideus quoque constat.

Denique ut in prologo illo, ita in genuinae tragoediae initio Mercurium exstitisse, ut Jovis iussu Danaen de rebus adversariis consoletur[3]), suspicari licet.

Fragmenta autem singula Danaes Euripideae in hunc fere modum explicari posse existimo:

Frg. 318: *γύναι φίλον μὲν φέγγος ἡλίου τόδε*
καλὸν δὲ πόντου χεῦμ' ἰδεῖν εὐήνεμον,
γῆ τ' ἠρινὸν θάλλουσα πλούσιόν θ' ὕδωρ
πολλῶν τ' ἔπαινον ἔστι μοι λέξαι καλῶν
ἀλλ' οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν οὐδ' ἰδεῖν καλὸν
ὡς τοῖς ἄπαισι καὶ πόθῳ δεδηγμένοις
παιδῶν νεογμῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος

fortasse Acrisii precibus Danaes ex frg. 325 (cf. supra p. 23) commoti verba sunt, qui et ipse liberos, praecipue filios, maximo sibi fore gaudio confitetur. Eodem pertinere potest

frg. 330: *Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων*
οὐ τῶν τεκόντων ἐστίν, ἀλλὰ τοῦ λέχους
τὸ δ' ἄρσεν ἕστηκ' ἐν δόμοις ἀεὶ γένος
θεῶν πατρῴων καὶ τάφων τιμάορον[4]).

Attamen cum ex sorte sibi pronuntiata ut funditus illius felicitatis expers sit agat, filiam diligentissime includi atque servari, infantem vero ubi paritura fuerit, matrem una cum filiolo interfici iubet[5]). De

---

1) De nonnullis cf. infra.
2) Cf. frg. 321.
3) Cf. v. 44—48 illius prologi.
4) Cf. Welcker. Gr. tragg. II, p. 642 et 643
5) Errare igitur videtur Gerhardus l. l. p. 3. ‚schwachsinnig geübte tyrannei des Acrisius'.

frg. 319: *Καὶ νῦν παραινῶ πᾶσι τοῖς νεωτέροις*
μὴ πρὸς τὸ γῆρας τοὺς γάμους ποιουμένους
σχολῇ τεκνοῦσθαι παῖδας οὐ γὰρ ἡδονή
γυναικί τ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ.
ἀλλ' ὡς τάχιστα. καὶ γὰρ ἐκτροφαὶ καλαὶ
καὶ συννεάζων ἡδὺ παῖς νέῳ πατρί

Wagneri [1]) sententiam comprobo, qui hoc a Minerva dictum esse arbitratur. ‚Minerva enim, inquit, si re vera ut Pseudo-Euripides ille tradit, inter fabulae personas fuit, haud dubie in fine in scenam processit, et non modo Danaen cum filio a se servatum iri, sed etiam ad quot quantasque res gerendas Perseus natus sit, narravit illaque verba fecit.' Welckerus autem, qui et ipse in extrema huius tragoediae parte Minervam processisse suspicatur, hoc frg. 319. Acrisio minus probabiliter ex mea quidem sententia adtribuit.

Frg. 322: *οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα*
οὔτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή [2])

de feminarum mala fide, fortasse ab Acrisio, disputari apparet. Sed Welckero [3]), qui cum his verbis coniungi voluit Eurip. incert. fab.

frg. 1046: *Μοχθοῦμεν ἄλλως θῆλυ φρουροῦντες γένος·*
ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν ἔνδικος
τί δεῖ φυλάσσειν κἀξαμαρτάνειν πλέον;

assentiri vix ausim, quanquam Wagnerus ei adstipulatus est.

Frg. 324: *Ἔρως γὰρ ἀργὸν κἀπὶ τοῖς ἀργοῖς ἔφυ,*
φιλεῖ κάτοπτρα καὶ κομης ξανθίσματα,
φεύγει δὲ μόχθους· ἓν δέ μοι τεκμήριον
οὐδεὶς προσαιτῶν βίοτον ἠράσθη βροτῶν,
ἐν τοῖς δ'ἔχουσιν ἡβητὴς πέφυχ' ὅδε

---

1) In Eur. ed. Paris. p. 695.

2) Cf. Fritzsch. ad Aristoph. Thesmoph. vs. 412, qui ad hunc Euripidis locum Aristoph. Thesmoph. vs. 412—415 referi debere iudicat.

3) Gr. tragg. II, p. 1592.

quanquam postremi versus exitum corruptum esse manifestum est, neque satis probabiliter homines docti eum sanare studuerunt [1]), tamen ex iis quae antecedunt verbis coniicere debemus, illis Acrisium in filiam invectum esse, quod muneribus hominis cuiusdam divitis atque voluptarii corrupta sit, quanquam

frg. 327: *κρείσσων γὰρ οὔτις χρημάτων πέφυκ' ἀνὴρ*
πλὴν εἴ τις· ὅστις δ' οὗτος ἐστὶν οὐχ' ὁρῶ

auri vi omnes fere homines corrumpi concedit.

Frg. 323: *ἦν γάρ τις αἶνος, ὡς γυναιξὶ μὲν τέχναι*
μέλουσι, λόγχῃ δ' ἄνδρες εὐστοχώτεροι.
εἰ γὰρ δόλοισιν ἦν τὸ νικητήριον,
ἡμεῖς αν ἀνδρῶν εἴχομεν τυραννίδα

Danae ad Acrisii iniurgia respondisse videtur.

Frg. 321: *συμμαρτυρῶ σοι· πανταχοῦ λελείμμεθα*
πᾶσαι γυναῖκες ἀρσένων ἀεὶ δίχα

femina aliqua de inopia atque imbecillitate mulierum conqueritur; sed utrum Danae sive ad chorum sive ad nutricem [2]), an nutrix ipsa an chorus haec verba fecerit, perspici iam non potest.

Frg. 322: *Ἐς ταὐτὸν ἥκειν φημὶ ταῖς βροτῶν τύχαις* [3])
τόνδ' ὃν καλοῦσιν αἰθέρ' ᾧ τάδ' ἔστι δή·
οὗτος θέρους τε λαμπρὸν ἐκλάμπει σέλας,
χειμῶνα τ' αὔξει συντιθεὶς πυκνὸν νέφος,
θάλλειν τε καὶ μή, ζῆν τε καὶ φθίνειν ποιεῖ.
Οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα τῶν μὲν εὐτυχεῖ
λαμπρᾷ γαλήνῃ, τῶν δὲ συννεφεῖ πάλιν,
ζῶσίν τε σὺν κακοῖσιν, οἱ δ' ὄλβου μέτα
φθίνουσ' ἐτείους προςφερεῖς μεταλλαγαῖς

---

1) Nauckius *εὐτυχής* legendum esse suspicatur pro *ἡβητής*. Wagnerus *ἐν τοῖς δ' ἔχουσιν ἡδὺ παῖς πέφυχ' ὅδε* scribendum putat.

2) Nutricem hac in tragoedia in scenam prodisse Danaes sociam verisimile est; *τροφός* et a Pherecyde et in prologo illo Pseudo-Euripideo commemoratur.

3) Ita Musgravius; vulgo *βροτῶν τύχας*.

ad tragoediae exitum pertinere et ab Acrisio fortasse pronuntiatum esse Welckerus Hartungus Wagnerus consentiunt.

Frg. 331: *φεῦ τοῖς γενναίοισιν ὡς ἁπανταχοῦ*
πρέπει χαρακτὴρ χρηστὸς εἰς εὐψυχίαν et

frg. 329: *φιλοῦσι γάρ τοι τῶν μὲν ὀλβίων βροτοὶ*
σοφοὺς τίθεσθαι τοὺς λόγους, ὅταν δέ τις
λεπτῶν ἀπ' οἴκων εὖ λέγῃ πένης ἀνήρ,
γελᾶν· ἐγὼ δὲ πολλάκις σοφωτέρους
πένητας ἄνδρας εἰςορῶ τῶν πλουσίων
καὶ θεοῖσι μικρὰ χειρὶ θύοντας τέλη
τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους et

frg. 328: *ἆρ' οἶσθ' ὁθούνεχ' οἱ μὲν εὐγενεῖς βροτῶν*
πένητες ὄντες οὐδὲν ἀλφάνουσ' ἔτι·
οἳ δ' οὐδὲν ἦσαν πρόσθεν, ὄλβιοι δὲ νῦν
δόξαν φέρονται τοῦ νομίσματος χάριν
καὶ συμπλέκοντες σπέρμα καὶ γάμους τέκνων;
δοῦναι δὲ πᾶς τις μᾶλλον ὀλβίῳ κακῷ
πρόθυμός ἐστιν ἢ πένητι κἀγαθῷ·
κακὸς δ' ὁ μὴ ἔχων, οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι et

frg. 320: *ὅστις δόμους μὲν ἥδεται πληρουμένους*
γαστρὸς δ' ἀφαιρῶν σῶμα δύστηνος κακοῖ,
τοῦτον νομίζω κἂν θεῶν συλᾶν βρέτη
τοῖς φιλτάτοις τε πολέμιον πεφυκέναι

de misera pauperum et sapientium hominum conditione et de avaritiae turpitudine agi apparet; quodsi Welckerus et Wagnerus statuerunt, haec verba esse Acrisii, qui his versibus plura de auri vi dissereret, non comprobo, praesertim cum Acrisium regem ipsum eumque omnium Argivorum ditissimum minime talia verba decere existimem. Et quis est homo ille avarus atque tenax, de quo frg. 330 agitur? Equidem haec verba cum Matthiaeo nimis in universum dicta esse puto, quam ut accuratius et a quo et qua occasione dicta sint explicari possit.

Tum frg. 326. huc non pertinere, sed ad Bellerophontem Euripidis tragoediam, Wagnerus satis aperte atque probabiliter,

ut mihi quidem videtur, demonstravit.[1]) Denique Soph. frg. 856. ex Nauckii disputatione [2]) Danaes Euripideae fragmentum esse videtur. Welckerus quoque [3]) hoc fragmentum, quod Sophoclis dicitur, nisi in Phaedra ulla in alia Sophoclis tragoedia quae nobis nota sit dici potuisse negat.

Quae tractavi huius tragoediae fragmenta omnes interpretes eodem fere vel simili modo neque nimis difficile neque ad arbitrium fabula Danaeia apud veteres scriptores vulgata quam maxime usi explanaverunt; Hartungus vero nullo apud veteres auctore nisus prorsus novam fabulam multis incertarum fabularum fragmentis huc relatis effinxit, ex parte vel ridiculum in modum enarratam [4]) neque ab ullo sano homine comprobatam, etiamsi de nonnullis fragmentis recte aliquid iudicavit. Mater autem Danaes, cuius in prologo illo Pseudo-Euripideo mentio non fit, ex Hartungi sententia primas partes in hac tragoedia egisse videtur. Denique quod omnium maxime est temerarium, hanc tragoediam ad arbitrium suum in singulas scenas et actus dispertitus est.

Quibus expositis paucis, cur Euripides fabulae nostrae operam dare voluerit, videamus.

Ac primum quidem illum id egisse crediderim, ut per Acrisii impietatem ipse sese nullam antiquis divinis fabulis praebere fidem confiteretur. Deinde occasione oblata usus esse videtur in feminarum pravitatem atque impietatem invehendi [5]) per eiusdem Acrisii verba. Denique quod summum mihi momentum tragoediae huius effingendae fuisse videtur, Euripidem, cum Danaen et Perseum filiolum ab Acrisio patre in summa eius misericordia tamen crudeliter atque inhumane abdicatos produceret, ut animos spectantium gravissime mo-

1) Ad Eurip. Bellcroph. frg. V. cf. et Welcker. gr. tragg. II, p. 790 et 791.

2) Ad h. frgm. et in phil. IV, 542.

3) Cf. et Welcker. gr. tragg. I, 397.

4) Cf. l. l. I, p. 92: . . Rex enim (sc. Acrisius), quum videns parvulum nunquam satiari posset et saepe aut per fissuram forium, qua clavis immittebatur, aut per impluvium . . in gynaeceum introspiceret, forte animadvertit filiam parvulo mammam praebentem cet.

5) Cf. Nauck. de Eur. ingenio p. XXXIV una cum not. 73.

veret navasse arbitror, quod illum saepissime tragoediis intento studio et labore consecutum esse nemo nescit.[1])

At satis iam mihi multa verba fecisse videor de Euripidis Danae; deinceps, ut erat propositum, de eiusdem poetae Dictye agatur, quod Euripidis drama ad nostram pertinere fabulam primus Musgravius[2]) recte perspexit.

Cuius tragoediae chorum aut Seriphi incolis aut Polydectae servis constitisse Welckerus praeclare ostendit, qui praeterea Dictyn et Danae quomodo Seriphum pervenisset et Perseus cur insula amotus esset prologo explanasse probabiliter suspicatus est.[3]) De illis autem, quae poeta ante ipsam tragoediam facta esse voluit, bene disseruit Matthiaeus.[4]) Opinatur enim, Polydectae dolo falsum rumorem pervagatum esse, Perseum ut Gorgones interficeret profectum in peregrina terra esse mortuum, quo facilius Danaen quae filii auxilio orbatam sese putaret, Polydectes sibi reconciliaret. Quae quam sit probabilis sententia, intelligitur, si Musgravium[5]) sequimur, qui teste Plutarcho[6])·

frg. 336: δοκεῖς τὸν Ἅιδην σῶν τι φροντίζειν γόων
καὶ παῖδ' ἀνήσειν τὸν σόν, εἰ θέλοις στένειν;
παῦσαι· βλέπουσα δ' εἰς τὰ τῶν πέλας κακὰ
ῥάων γένοι' ἄν, εἰ λογίζεσθαι θέλοις
ὅσοι τε γηράσκουσιν ὀρφανοὶ τέκνων,
τοὺς δ' ἐκ μεγίστης ὀλβίας τυραννίδος
τὸ μηδὲν ὄντας· ταῦτά σε σκοπεῖν χρέων

ad nostram tragoediam referendum esse argute iudicavit. Accedit, quod, ut Welckerus recte intellexit, a Polydectae

1) Cf. Quintil. X, 1, 68: ‚in affectibus vero cum omnibus mirus tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus' (sc. Euripides), ad quod iudicium illustrandum cf. Eurip. Troad., Androm., Iphig., Aul., Med. alias eiusdem poetae tragoedias. De tempore tragoediae cf. Wilamowitz, anal. Eur. p. 151.

2) In Eur. ed. Oxon. a. 1778, III, p. 559.

3) Gr. tragg. II, p. 669.

4) l. l p. 153.

5) l. l. III, p. 560. et 561; cf. et Bentlei. epist. ad Millium, p. 15.

6) Moral. p. 106. A: ὁ δὲ παραμυθούμενος τὴν Δανάην δυσπενθοῦσαν Δίκτυς φησί· Δοκεῖς τὸν Ἅδην κτλ.

moribus, qui subdole Perseum ad Gorgones miserat, quod iterum ad Danaen fallendam dolum intenderit alienum fuisse non videtur.

Quae cum ita sint, pleraque reliqua fragmenta vel inter se coniungere vel interpretari possumus.

Frg. quidem 334:

εἷς γάρ τις ἔστι κοινὸς ἀνθρώποις νόμος
(καὶ θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω)
θηρσίν τε πᾶσι, τέκνα τίκτουσιν φιλεῖν.
Τὰ δ' ἄλλα χωρὶς χρώμεθ' ἀλλήλων νόμοις

Danaen nuntiata Persei morte moestitiam suam excusare verisimile est.

De frg. 337:

τί μ' ἄρτι πημάτων λελησμένην
ὀρθοῖς;

plane assentior Welckero, quem cum aliis locis tum hoc Wagnerus secutus est. Atque is ‚Danaes', inquit ‚haud dubie verba sunt dicta cum a choro monita esset accedere nuntium de Perseo relaturum. Similiter enim Tecmessa de adventu nuntii certior facta (Soph. Ai. 787) exclamat: *Τί μ' αὖ τάλαιναν, ἀρτίως πεπαυμένην κακῶν ἀτρύτων, ἐξ ἕδρας ἀνίστατε;* quem locum iam scholiasta aptissime cum nostro contulit.' Verba

frg. 335: *νέος πονοις δέ γ' οὐκ ἀγύμναστος φρένας*

quin de Perseo dicta sint vix dubitari potest; sed non satis manifestum est neque quando neque a quonam homine haec verba facta sint. Similiter dubitare licet utrum chorus an Danae an alius quis locutus sit versus

frg. 343: *μὴ νεῖκος, ὦ γέραιε, κοιράνοις τίθου·*
σέβειν δὲ τοὺς κρατοῦντας ἀρχαῖος νόμος,

quo Dictyn ne cum Polydecta controversiam habeat admoneri recte ex mea quidem sententia Matthiaeus suspicatus est. Welckeri autem sententiam, haec verba a paedagogo dicta esse, nihil valere recte Wagnerus a. h. l. disseruit, cuius ad argumentum hoc quoque afferri potest, quod paedagogus in

prologo illo, qui Euripidi falso tribuitur, non nominatur. Verbis autem

frg. 338: θάρσει· τό τοι δίκαιον ἰσχύει μέγα

Danaen in summo discrimine rerum consolatione cuiusdam leniri apparet, quanquam ne haec quidem verba quis elocutus sit, certum est.

Frg. 333: ἐγὼ νομίζω πατρὶ φίλτατον τέκνα
παισίν τε τοὺς τεκόντας οὐδὲ συμμάχους
ἄλλους γενέσθαι φήμ' ἂν ἐνδικωτέρους

una cum

frg. 340: πατέρα τε παισὶν ἡδέως συνεκφέρειν
φίλους ἔρωτας ἐκβαλόντ' αὐθαδίαν,
παῖδάς τε πατρί· καὶ γὰρ οὐκ αὐθαίρετοι
βροτοῖς ἔρωτες οὐδ' ἑκουσία νόσος·
σκαιόν τι δὴ τὸ χρῆμα γίγνεσθαι φιλεῖ
θεῶν ἀνάγκας ὅστις ἰᾶσθαι θέλει

Polydecten dixisse Schoellius bene suspicatus esse videtur. Quae verba hac Schoellii sententia probata a Polydecta dicta esse coniicio, ut opprobria

frg. 339: ὄντων δὲ παίδων καὶ πεφυκότος γένους
καινοὺς φυτεῦσαι παῖδας ἐν δόμοις θέλεις,
ἐχθρὰν μεγίστην σοῖσι συμβάλλων τέκνοις

sibi facta, quibus fortasse Danae conditionem uxoriam ab illo sibi propositam repellebat, prorsus refutaret. De

frg. 342: φίλος γὰρ ἦν μοι καί μ' ἔρως ἕλοι ποτὲ
οὐκ εἰς τὸ μῶρον οὐδὲ μ' εἰς Κύπριν τρέπων·
ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς ἔρως
ψυχῆς δικαίας σώφρονός τε κἀγαθῆς·
καὶ χρῆν δὲ τοῖς βροτοῖσι τόνδ' εἶναι νόμον
τῶν εὐσεβούντων οἵτινές γε σώφρονες
ἐρᾶν, Κύπριν δὲ τὴν Διὸς χαίρειν ἐᾶν

admodum varie interpretes iudicaverunt. Omnium autem rectissimam mihi quidem videtur sententiam proferre Hartungus, qui ad h. l. ‚Hanc', inquit, ‚cupidinem (sc. Polydectae) stultam esse ait Danae, longeque ei praeferendum amorem virtutis

honestatisque. Negat eadem, mortuo filio se facturam quod vivo facere noluerit, neque luctum, qui ei debeatur, cum nuptiarum laetitia commutaturum.'

Frg. 341.: *Κύπρις γὰρ οὐδὲν νουθετουμένη χαλᾷ,*
ἤν τ' αὖ βιάζῃ μᾶλλον ἐντείνειν φιλεῖ,
κἄπειτα τίκτει πόλεμον εἰς δ' ἀνάστασιν
δόμων περαίνει πολλάκις τὰ τοιάδε

verba esse, quae Polydectes ad Dictyn fratrem fecerit, cum Matthiaeo arbitror.

Frg. 346.: *μή μοί ποτ' εἴη χρημάτων νικωμένῳ*
κακῷ γενέσθαι μηδ' ὁμιλοίμην κακοῖς

fortasse Dictyis a Polydecta in Danaen incitati verba sunt, ne Danaae vim afferat recusantis. Versibus

frg. 347.: *πολλοῖς παρέστην κἀφθόνησα δὴ βροτῶν*
ὅστις κακοῖσιν ἐσθλὸς ὢν ὅμοιος ᾖ,
λόγων ματαίων εἰς ἅμιλλαν ἐξίων·
τὸ δ' ἦν ἄρ' οὐκ ἀκουστὸν οὐδ' ἀνασχετὸν
σιγᾶν κλύοντα δεινὰ πρὸς κακιόνων

Dictyn quod asperius in regem invectus sit, se excusavisse recte et Wagnerum et Schoellium iudicasse arbitror.

Frg. 348.: *τυραννικόν τοι πόλλ' ἐπίστασθαι λέγειν*

quin de Polydecta dictum sit vix dubitari potest; sed a quonam, in incerto est. Verba

frg. 345.: *εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά·*
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ,
ὁ δ' οὐ δίκαιος κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ

quominus cum Schoellio ad Danaen referamus, quae Polydecten nobilitatem sui generis laudantem — ‚quippe qui originem ab Urano duceret' — refutaret, non equidem intercedo. Sed de

frg. 344.: *φεῦ, φεῦ παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·*
οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός et

frg. 349.: *εἰ δ' ἦσθα μὴ κάκιστος, οὔποτ' ἂν πάτραν*
τὴν σὴν ἀτίζων τήνδ' ἂν εὐλογεῖς πόλιν·

ὡς ἔν γ' ἐμοὶ κρίνοιτ' ἂν οὐ καλῶς φρονεῖν
ὅστις πατρῴας γῆς ἀτιμάζων ὅρους
ἄλλην ἐπαινεῖ καὶ τρόποισιν ἥδεται

quid certi dicam me non habere cum Wagnero concedere, quam vel Welckero vel Schoellio in illis fragmentis explicandis assentiri malo. Ille enim Perseum iam diu ante exitum fabulae permutato habitu advenisse arbitratur, quae opinio nullo testimonio firmari potest[1]); Schoellius[2]) autem ex Hygini fab. 63. Acrisium filiae nepotisque desiderio ductum ad Polydecten ut eos repeteret profectum esse, Perseum vero id quod Acrisius postulasset frg. 344. et 349. detrectasse censet. Quam falsa sit haec opinio cum satis luculente iam Wagnerus[3]) demonstraverit, pauca quae addam habeo.

Illa enim tragoedia cum Perseum a Polydecta ad Gorgones missum propositum fuisse viderimus, apud Hyginum neque de Persei ad Gorgones itinere, neque de Polydectae in Perseum inimicitia quidquam legitur, sed potius illum et Acrisii nepotem educasse et Danaen in matrimonium duxisse et Acrisium pro iis deprecatum esse Hyginus narrat.

Deinde Hartungus erravit; Ovidii enim narrationem[4]) quanquam in nonnullis cum Euripidis Dictye congruere videtur[5]), tamen ad restituendum drama Euripideum propter artis Ovidianae rationem et indolem adhibere non debuit. Omnino autem etiam in huius dramatis dispositione Hartungiana perpauca sunt, quae probabiliter defendi posse arbitrer.

Ceterum tragoediam nostram doctam esse ab Euripide ol. 77, 1 una cum Medea, Philoctete, Theristis, fabula satyrica, ex argumento Eur. Med. intellegitur.

---

1) Cf. etiam l. l. II, p. 165.
2) l. l. I, p. 156. sq.
3) l. l. II, p. 165.
4) Met. V, 236. sq.
5) Cf. Ov. trist. II, 381. sq., ubi omnes fere tragoedias Euripideas, in quibus Danaen, Ovidium nominasse Hartungus recte admonuit.

Atque in Polydectae persona Euripidem quanta et quam perniciosa esset amoris libido exponere voluisse apparet; praeterea O. Jahnius [1]) poetam tyranno Danaae vim allaturo Dictyn, hominem probum qui illum tueretur, certo quodam consilio opposuisse rectissime animadvertit.

Ex poetis Graecorum tragicis posterioribus ne unus quidem, quod sciam, commemoratur, qui argumentum nostrum tractaverit.

Quibus expositis transire liceat ad comoedias Graecas, quae aut aperte ad nostram fabulam revocandae sunt, aut saltem ad illam aliquo modo pertinent.

Atque ut a Sannyrione exordiar, illum *Δανάην* comoediam scripsisse scimus [2]), cuius insigne servaverunt fragmentum et schol. Eur. Orest. vs. 279. et schol. Arist. Ran. vs. 303, ubi Hegelochum tragicum actorem propter pinguiorem pronuntiationem in Eur.Orest. vs. 279 a compluribus comicis poetis irrisum esse [3]) docent. Hi versus ex Kockii emendatione [4]) in hunc modum legendi sunt:

Τί οὖν γενόμενος εἰς ὀπὴν ἐνδύσομαι;
ζητητέον. φέρ' εἰ γενοίμην μυγαλῆ [5]);
ἀλλ' Ἡγέλοχος οὗτός με μηνύσειεν ἂν
ὁ τραγικὸς ἀνακράγοι τ' ἂν εἰςιδὼν μέγα·
ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ.

Quibus in verbis explanandis omnes interpretes consentiunt, dicta esse a Jove quomodo ad Danaen perveniat considerante [6]). Haec autem apud Sannyrionem verba Jovem loqui, ut fabulam Danaeiam de aurea pluvia vulgatam ludificetur, manifestum est.

---

1) In philol. 27, p. 13.
2) Cf. Meineke, hist. crit. com. att. p. 264.
3) Bergk. comment. de rel. com. Att. p. 430.
4) Ant. com. att. frg. 1, p. 794.
5) Ad totam sententiam cf Apollodori fragm. apud Stob. Flor. VI, 28 (Mein. fragm. com. IV, p. 444): *Καὶ κλείεθ' ἡ θύρα μοχλοῖς· ἀλλ' οὐδὲ εἷς Τέκτων ὀχυρὰν οὕτως ἐποίησεν θύραν, Δι' ἧς γαλῆ καὶ μοιχὸς οὐκ ἐςέρχεται.*
6) Bergk. l. l.; cf. et Meinek. et Kock. a. h. l. et Tzetz. ad Lycophr. 838: *Ζεὺς δέ, ὡς ληροῦσιν, εἰς χρυσὸν μεταστρέψας αὑτόν, καὶ χυθεὶς διά τινος ὀπῆς ἐμίγη αὐτῇ* (sc. *Δανάῃ*).

Nam ex aliis quoque comoediis Graecorum ex parte servatis Sannyrionis aetate iam homines multos antiquas de diis fabulas vel novo modo explicasse[1]) vel irrisisse apparet, ita ut comici poetae hanc de veterum religione opinionem in scenam transferre non dubitarent.

Deinde Apollophanis comoediae cui *Δανάη*[2]) nomen fuit, quanquam nullum superest fragmentum, tamen ex titulo suspicari licet, etiam illum quam mire a Jove Acrisii filia vitiata sit, ridicule exposuisse.

Ab aliis autem poetis comicis fabulam de Seripho insula in saxum commutata irrisam fuisse elucet e Strabonis verbis[3]); *οὕτω δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος* (sc. *Σέριφος*) *ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες* Quae fortasse ad Cratini Seriphios spectare acute Meinekius suspicatus est[4]).

Denique ut opinor has in partes vocandae sunt Heniochi *Γοργόνες*[5]). Sed cum huius comoediae unum fragmentum supersit, e quo nihil quod ad nostrum propositum pertineat apparet, nihil certius de ea dicere possumus; fortasse res a Perseo apud Gorgones gestas Heniochus tractavit.

Jam de tragoediis Romanorum, quatenus ad fabulam Danaeiam pertineant, pauca disseramus, quoniam Romanorum poetas tragicos Graecorum tragoedias imitatos esse constat.

Ac primum quidem a Livio Andronico, qui primus poesin Graecam Romam transtulit[6]), fabulam illam tractatam esse scimus; sed quomodo in ea versatus sit, omnino enucleari non

---

1) Cf. quae in Eur. *Δανάη* Acrisius filiae quod iuvenis divitis auro corrupta sit exprobrat.

2) Cf. Mein. l. l. p. 266.; Kock. l. l. I, p. 797.

3) X, p. 487. E.

4) Cf. Mein. frg. com. II, p. 137. sq.; ed. Menandri p. XVIII.; Kock. l. l. I, p. 75 sq., Preller. l. l. II, p. 61, 2; p. 71.

5) De qua comoedia cf. Mein. hist cr. p. 421.

6) O. Ribbeck. hist. trag. Rom. p. 41.

potest, cum unum fragmentum, de quo admodum licet dubitare, restet apud Non. 473, 31:

. . etiam minitas? mitte ea quae tua sunt magis quam mea.

O. Ribbeckius [1]) quidem, cuius ab auctoritate totam hac in dissertationis parte disquisitionem meam proficisci confiteor, rectissime a. h. l. admonuit: ‚sana est sententia hominis, qui minas adversarii et opprobria repellat, non tam suam quam illius culpam esse respondens.' In libro autem de historia tragoediae Romanae composito [2]) idem vir ingeniosissimus verba illa ad altercationem aliquam pertinere, quae quidem inter quos concertetur, accuratius demonstrari non possit, opinatus est. Itaque utrum recta an falsa sit Ribbeckii ratiocinatio verba illa esse repudiationem opprobriorum, quae Acrisius Proeto obiecerit (cf. Apoll. II, 4, 2), disseri nequit. Sed satis esse verisimilia haec mihi non videntur, quoniam in fabula Danaeia Proetum apud veteres scriptores nisi illo uno Apollodori loco [3]) nusquam commemoratum esse vidimus.

Atque haec quidem de Livio Andronico; sequitur, ut de Naevio pauca disseramus, cuius ex tragoedia ‚Danae' inscripta aliquanto plura quam ex illius supersunt fragmenta. De his quoque quanquam Ribbeckius nuperrime ingeniose ut solet identidem [4]) egit, tamen illa repetere mihi liceat, quoniam fieri non potest, ut omnibus in partibus illius sententias comprobem.

Naevium in fabula Danaeia tractanda Euripidem imitando secutum esse postquam iam Welckerus [5]) Gerhardusque [6]) suspicati sunt, Ribbeckius [7]) illum ut aemulando in eisdem argumentis tractandis cum Livio Andronico contenderit, ita cum

---

1) Trag. Rom. fragm. novis curis ed. 1871 p. X.

2) p. 41.

3) Quid de Pindari illo quod dicitur frgm. censeri debeat, iam supra p. 12 explicavi.

4) Cf. frgm. trag. Rom 1852, p. 244 sq.; novis curis ed. 1871, p. XI. et p. 7; hist. Rom. trag. 1875, p. 44 sq.

5) Aesch. tril. p. 389 not. 659.

6) l. l. p. 3.

7) Hist. trag. Rom. p. 44.

in aliis fabulis tum in nostra Acrisium tragoediam Sophocleam cum Danae Euripidea inter se contaminasse fusius demonstrare conatus est.

Nunc ut quae ad singula attinent disseramus, fragmenta quonam sint referenda non liquet, nisi quod nonnulla de Arisii iudicio agunt.

Frg. quidem IV [1]): Eam compotem scis nunc esse inventam probris [2])

fortasse ab Acrisio, ne nimis crudelis videretur, ad illum dictum est, cui ut Danaen in cistam iniiceret imperaverat, vel ad hominem quendam, qui Danaen opprobriorum purgare conatus est.

Deinde frg. VII: Quin ut quisque est meritus praesens pretium pro factis ferat

Acrisius quantum coniectare licet de Danaes quod dicit crimine iratus protulit.

Frg. autem VIII: indigne exigor patria innocens

a Danae, ubi a patre condemnata sit, dictum esse apparet. Minus apertum est

frg. II: Contempla placide formam et faciem virginis

quae verba fortasse ad Acrisium dicta sunt a quopiam, qui Danaen ab interitu defendere voluit, sive quod Acrisio filiam formosiorem esse, quam ut pessumdaret, sive quod tantam esse illius pulchritudinem explicavit, ut vel Jupiter ipse quin in illam arserit dubitari nequiret. An, ille fortasse perrexit, formosiorem Danaen negas, quam Semelen,

frg. IX: . . . quam quondam fulmine icit Jupiter [3])?

Magis etiam dubitari potest de

frg. I: Omnes formidant homines eius valentiam,

quae verba vel ad Jovem vel ad Amorem revocanda esse acute perspexit Ribbeckius; sed magis de Amore hoc fragmento

---

1) Fragmenta afferuntur ex editione Ribb. fr. trag. Rom. 1871.

2) Ribbeckius in altero libro lectionem probris, in altero probri praeferendam esse putavit.

3) De Semele in hoc fragmento sermonem esse monuit Bergkius in mus. Rhen. 1835, p. 74.

agi quam de Jove verisimile esse mihi videtur; nam si verba illa de Jove dici statuerimus, in iis locum communem Naevii ingenio haud satis dignum inesse vix negari poterit; de Amoris vero vi haec quoque verba ut Danae purgetur ad Acrisium praeclare dici potuisse quis est qui neget? Ceterum, quam Ribbeckius quamvis ingeniose excogitavit fabulam illam de Jove et Mercurio Danaes pulchritudinem admirantibus, cum nullo testimonio comprobata sit, neque ex ulla Graecorum tragoedia quae huc revocanda sit Jovem ipsum in scenam prodisse appareat, plane reiiciendam esse arbitror. Qua de causa, cum hanc quoque sententiam viri doctissimi, verba

frg. III: Excidit orationis omnis confidentia

in fabula illa a Danae sive ad Jovem sive ad Mercurium enuntiata esse, probare nequeam, Hartungi interpretationem praefero [1]), qui de illis verbis ‚destitutam', inquit, ‚se auxilio esse videns virgo (sc. Danae) frangitur animo et ad preces convertitur'; quanquam aliam quoque explicationem de hoc fragmento afferri posse libenter concedo.

Frg. X: Manubias suppetiat prone. . . .

Jovis quidem auxilium invocari Ribbeckio assentiri non dubito [2]), sed utrum ab Acrisio ad irridendam Danaes de Jove Persei genitore affirmationem an a Danae ipsa Jovis potentia freta illa verba dicta sint, diiudicare non audeo.

Frg. XI: suo sonitu claro fulgorivit Jupiter

non ad frg. X, quod antecedit, referendum esse censeo, non quidem, ut Ribbeckius voluit; nam Acrisium hominem quamvis impium portenta deorum ita sprevisse, ut ad Danaes perniciem iam incumberet, vix cogitari potest. Magis autem probabilis sententia est ab eodem Ribbeckio prolata [3]), fortasse

1) Eur. rest. I, p. 94.

2) Cf. Ribbeck. frg. trag. Rom. 1871, p. XI: manubias sc. Jovis, h. e. fulmen (cf. Festus p. 129 M.), quod pronum de caelo in auxilium ut sibi mittatur precari Danae videtur.

3) Fr. trag. Rom. 1852, p. 246.

Jovem signo caelesti misso, de quo aliquis Danaen certiorem facit illis verbis, desperantem esse consolatum.

Verba frg. V: ... amnis niveo fonte lavere me memini manum explicari non posse Ribbeckius concessit Non multo magis perspicuum est

frg. VI: Desubito famam tollunt si quam solam videre in via

quo in fragmento explicando Ribbeckius Klusmannum sequitur, qui hoc fragmento sibi ipsi fortasse ‚virginis abditae custodi pavido' Acrisium illusisse suspicatus est, qui quamvis ne mulieres corrumperentur cautum sit, tamen ne Danae vitiaretur, impedire non potuerit.

Denique cur Ribbeckius inc. fab.

frg. I: Male parta male dilabuntur

ad hanc Naevii fabulam referendum esse opinatus sit, causam idoneam non video.

Ceterum a scriptoribus et Graecis et Romanis fabulae nostrae forma antiquissima saepius [1]) commemoratur, paucis ac levibus momentis mutatis vel additis. Ovidius quidem (et Hyginus [2]), qui fortasse in hac re ex illo narrationem suam hausit) Proetum [3]), qui Acrisium regno depulerat a Perseo lapideum redditum esse enarrat met. V, vs. 236 sq.:

1) Cf. Herod. I, 91. VI, 53. VII, 61; 150. Isocr. X, 59. XI, 37. Paus. II, 23, 7. X, 5. 11. Lucian Tim. 3, 11. de saltatione 44. Eratosth. cat. XXII. Hyg. poet. astron. II, 12. Diod. Sic. IV, 9. Schol. in Germ. p. 147, 17. Apoll. Rhod. IV, 1515. Prop III, 30, 59; III, 13, 10. 12. anthol. gr. XII, 20. Quint. Smyrn., Nonn. passim, alios, quos omnes enumerare nequeo. De Stat. Theb. (II, 220. VI, 286) et de Ovid. quibusdam aliis locis cf. p. 45 c. not. 3 et 4.

2) Fab. 64; nam verba ‚Polydectes sive' ex errore scriptoris apposita esse, apparet; de aliis ab Hygino mutatis cf. supra p. 15.

3) Cf. Apollod. II, 4, 4: *παραγενόμενος* (sc. *Περσεύς*) *εἰς Τίρυνθα πρὸς τὸν Προίτου παῖδα Μεγαπένθην ἠλλάξατο.*

Victor Abantiades [1]) patrios cum coniuge [2]) muros
Intrat, et immeriti vindex ultorque parentis
Aggreditur Proetum. Nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Proetus possederat arces.
Sed nec ope armorum, nec, quam male ceperat, arce
Torva colubriferi superavit lumina monstri . . .

Idem vss. sqq. de uno Polydecta refertur, quanquam alii, qui hanc fabulam tractaverunt, Seriphios omnes a Perseo morte punitos esse finxerunt [3]). Deinde Lactantius, quem secutus est Vaticanus ille qui dicitur mythographus [4]), haec adnotat [5]): ‚Perseus, qui Acrisium obiecto Gorgonis capite convertit in saxum'. Tum alter mythographus Vaticanus [6]), ubi Danaen ad Italiam appulsam esse enarravit [7]), ‚Jupiter', inquit, ‚Perseum cuidam regi alendum comisit. Quod Juno dolens nefandis odiis persequi coepit eum ac regem instigavit, ut eum aliquo modo perderet; qui misit eum ad diversa monstra perimenda ut Chimaeram et Gorgonem et Medusam.' Quae ex Herculis fabula de insidiis ab Eurystheo rege Junone auctore illi paratis narrata esse negari non potest. Aliam autem fabulae partem Tzetzes mutavit, qui, cum Pherecydes alii ab Acrisio Perseum inventum esse tres vel quattuor annos natum enarrent, ipse haec profert [8]): *ἡ δὲ* (sc. *Δανάη*) *ἐν γαστρὶ ἔσχε τὸν Περσέα. Ὅπερ γνοὺς ὁ ταύτης πατὴρ, ἀνέμεινε ταύτην τεκεῖν. τεκοῦσαν δὲ σὺν τῷ βρέφει ἐμβαλὼν λάρνακα κτλ.*

Denique Plinius memoriae tradidit, Artemonem Danaen

---

1) Cf. Schol. Eur. Hec. 886.

2) Sc. Andromeda.

3) Cf. Welcker. Aesch. tril. p. 384: ‚Nach der ältesten strafgerechtigkeit geht durch den frevel des königs sein volk mit zu grunde' cet. cf. et Aristid. I, p. 25; sed Strab. l. c. haec habet: *συμπραττόντων ἐκείνων*; similiter Tzetzes ad Lycophr. 838.

4) Scriptt. rer. myth. lat. II, 3, ed. Bode.

5) Ad Stat. Theb. I, 255.

6) Cf. Bode l. l. I, 157.

7) De qua fabula cf. infra p. 42.

8) Schol. Lycophr. 838.

pinxisse, ‚mirantibus eam praedonibus'[1]). Quibus verbis Danaen ab illo intellegi, cum arca ad Seriphum appulsa a Dictye, fortasse piscatoribus sociis comitato[2]), inventa sit, verbo ‚praedonibus' parum accurate pro piscatoribus sive barbaris dicto cum Helbigio[3]) suspicor, quanquam Heynii[4]) aliorumque sententia, qui Plinium re vera de praedonibus agere existimant, satis certe refutari non potest.

II.

Haec igitur cum in paucis mutata sint, prorsus alia de Danae fabula nobis tradita est a scriptoribus nonnullis Romanis.

Ac primum quidem Vergilius[5]) haec narrat:

Et Turno si prima domus repetatur origo
Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae...

alioque loco[6]) haec:

Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros — quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundasse colonis —
...Locus Ardea quondam
Dictus avis...

Eadem fere memoriae tradiderunt C. Silius Italicus[7]) et Plinius maior[8]). Deinde certiora quaedam Servius[9]) praebet: ‚Danae Acrisii regis Argivorum filia, postquam est a Jove vitiata, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare, quae delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo,

1) h. n. 35, 40.
3) Cf. Overbeck. gr. Kunstmyth. I, p. 413. nr. 10.
3) Cf. bull. dell' inst. 1865, p. 232 et O. Jahn philol. 27, p. 3.
4) Excurs. ad Aen. VII.
5) Aen. VII, 372 sq.
6) Aen. VII, 408 sq.
7) Pun. I, 660.
8) h. n. III, 956.
9) ad Aen. VII, 372. Eadem verba Lactantius quoque fecit ad Stat. Theb. II, 220; cf. etiam mythogr. Vat. I, 157; II, 110, Statius alteram narrationem secutus est I, 255, VI, 286.

quem illic enixa fuerat, et oblata regi Pilumno, qui eam sibi fecit uxorem, cum quo etiam Ardeam condidit, a quibus Turnum vult (sc. Vergilius) originem ducere.'

Ceterum ad quam partem Italiae Danae appulerit, fama non satis constante traditum videtur [1]. Vergilius enim alio loco [2] in hunc modum:

Nec non et sacri monstrat nemus Argileti
Testaturque locum et letum docet hospitis Argi . . .

ad quos versus Servius 'Alii', inquit, 'Danaen cum duobus filiis Argo et Argeo, quos de Fineo habuit, venisse in Italiam et locum, ubi nunc Roma est, tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco nomen dedisse' [3].

Quae fabula quomodo orta sit, in dubitationem cadere nequit. Rectissime enim Heynius [4] admonuit: Tota fabula nugatorio, quantum quidem video, verborum lusui originem debet, ac si Daunia quae Apuliae pars est, a Danae Acrisii filia nomen et colonos acceperit. A Daunis autem cum Rutulos ortum traxisse vetus fides esset, Danaes fabula etiam ad Rutulos tracta et revocata est.' Quibus plane assentiri non dubito. Vergilium autem ipsum hanc fabulam excogitasse suspicari licet, cum alia Italiae nomina similiter eum in Aeneide explicavisse constat, de qua re Heynius uberius disseruit. Sed cum Danaen ad Apuliam appulsam esse Vergilii narratione traditum fuerit, quin alia quoque Italiae loca de Argivorum genere derivata sint, quae cum Danaes vel Argorum nominibus cohaerere videbantur, ita ut ea, quam Servius tradidit fabulam exorta sit, quis est qui dubitet?

Errat igitur Campana [5], cum fabulam Danaeiam iam antiquissimis temporibus in Italia pervulgatam fuisse dicat.

---

1) Cf. Heyne l. c.
2) Aen. VIII, 345.
3) De Argileto cf. Becker. R. A. I, p. 253. sq.
4) Ad Aen. VII, 372. Cf. Preller. roem. mythol. p. 684 sq.
5) Bull. dell' inst. 1845, p. 217.

III.

Satis dictum esse arbitror de scriptoribus, qui fabulam Danaeiam tractaverint; deinceps ut erat propositum, veteres quomodo fabulam nostram interpretati sint, paucis disseramus. Atque ut ad Danaen Euripideam revertar, in hac Acrisium gravissime in filiam invectum esse, quod non a Jove sed a diviti quodam iuvene auri largitione corrupta esset, supra explicavimus.[1]) Quibus versibus Euripidem vel ipse quid de fabula illa cogitaret, vel alii eius aetatis, expressisse quis est quin intellegat? Accedit quod eandem fabulae nostrae partem a comicis quoque poetis Graecis illusam esse accipere debemus ex Sannyrionis Apollophanisque comoediis, etiamsi in fragmento servato nihil de auro legitur. Aliam interpretationem de Danae a Proeto corrupta apud Apollodorum scriptam reperimus, de qua supra iam verba fecimus.[2])

In Romanorum autem comoedia fabula nostra a Terentio[3]) in hunc modum illuditur:

‚Dum apparatur, virgo in conclavi sedet
suspectans tabulam quandam pictam: ibi inerat pictura haec, Jovem
quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id spectare coepi: et quia consimilem luserat
iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
deum sese in hominem convertisse atque in alienas tegulas
venisse clanculum: per pluvium fucum factum mulieri.'[4])

---

1) Cf. p. 26. Magis perspicue dictum est prologo illo Pseudo-Euripideo vs. 30: ... ὡς ἄπυρος χρυσὸς γεγώς (sc. Ζεύς),
Ποθεινὸν εἰδὼς κτῆμα τοῦτο τοῖς βροτοῖς.

2) Cf. p. 12.

3) Eun. III, 5, 35. sq. ed. Umpfenbach; de tabula illa picta hic commemorata cf. infra p. 49.

4) Cf. Donat. a. h. l.: .. Tum quod in gremium Danaes etiam ipse Jupiter ut splendidus imber illabitur, nonne videtur meretrix dicere adolescentulis illam corporis partem auctore Jove velut inauratam fuisse?

Aperte vero de auri perniciosa vi scriptum est, ut ab Horatio incipiam, loco illo notissimo,[1]) quae sententia saepissime explanata invenitur etiam in anthologiae graecae permultis epigrammatis.[2]) Ovidium similiter de fabula nostra cogitasse ex compluribus locis elucet,[3]) quanquam nonnullis aliis vulgarem illam de pluvia aurea narrationem protulit. De Statio quoque dubitari potest.[4]) Deinde Martialis quid de fabula nostra sentiret, exposuit his verbis[5]):

> Cur a te pretium Danae regnator Olympi
> Accepit gratis si tibi Leda dedit?

Simili modo Petronius[6]), Statius[4]), P. Lucilius Junior[7]), Sulpicius Lupercus[8]), Claudianus[9]), Joann. Malalas[10]), alii, quos omnes referre nequeo, fabulam nostram interpretati sunt.

Tum patres qui dicuntur ecclesiae christianae, quid de fabula nostra iudicarent, minime celaverunt.[11])

Atque Augustinus quidem[12]) . . . vel Danaes, inquit, per imbrem aureum appetisse concubitum (sc. Jovem), ubi intellegitur pudicitiam mulieris auro fuisse corruptam[13]); similiter

---

1) C. III, 16 init. c. scholl., quocum loco optime Mitscherl. contulit Tibull. II, 4 33: Sed pretium si grande feras custodia victa est, Nec prohibent claves et canis ipse tacet.

2) Anth. Pal. V, 31, 33, 34, 64, 217, 257; IX, 48; XII, 20, 239; XVI, 285.

3) Met. V. 10; XI, 117; VI, 113; amor. III, 8, 29; quibuscum repugnant met. IV, 611, 697, amor. II, 19, 27 (?), III, 4, 21 (?).

4) Cf. Theb. VI, 286.

5) Epigr. XIV, 175.

6) C. 137. (quocum cf. c. 126).

7) In c. quod Aetna dicitur vs. 88, ed. Wernsdorf. poet. l. min. IV, p. 1, sq.

8) Eleg. vs. 7. ed. Wernsdorf l. l. tom. III.

9) In Eutrop. I, 82.

10) Chron. p. 34, 19.

11) Cf. quid Dion. Hal. ant. Rom. II, 18 de Graecorum fabulis cogitaverit.

12) Civ. D. XVIII, 13.

13) Eadem verba exstant apud Isidor. etym l. VIII, c. 11. (§ 34).

Tertullianus [1]), vel Lactantius [2]), qui ‚Danaen', inquit, ‚violaturus Jupiter aureos nummos largiter in sinum eius infudit. Haec stupri merces fuit; at poetae, qui quasi de Deo loquebantur, ne auctoritatem creditae maiestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum.' Vel Hieronymus [3]) de auro .. ‚habes enim', inquit, per quod Danaes victa est pudicitia; vel Abbas Columbanus [4]), vel Fulgentius [5]), vel Epiphanius [6]), qui haec habet: *Πρὸς Δανάην δὲ χρυσὸς ἐγίγνετο* (sc. *Ζεύς*), *ἵνα παρθένον σώφρονα θαλαμευομένην φθείρῃ. χρυσὸς δὲ ἐκεῖνος οὐκ ἠδύνατο γενέσθαι ποτέ, ἀλλὰ γόης ὢν διὰ χρυσοῦ δωροδοκῶν τὴν παρθένον ἠπάτησεν* [7]); alii.

Denique eandem fabulae nostrae interpretationem scriptam legimus apud mythographos illos Vaticanos, quos plerumque narrationes ad verbum ex fontibus antiquioribus hausisse apparet.

Atque altero loco [8]) haec historia enarrata est: .. ‚Danae Acrisii filia ad castitatem tuendam aerea ut aiunt turre inclusa, auro quidem non aureo imbre ab eodem Jove corrupta est', altero [9]) haec: .. ‚Idcirco autem in aureum imbrem mutatus dicitur (sc. Jupiter), quia auro custodes corrupit, et sic cum ea concubitavit.'

Similes quanquam etiam plures nostrae fabulae commemorationes in veterum scriptis exstare suspicor, tamen postremam illius enarrationem eo libello, quo ostenditur, ‚qualiter Jupiter corrupit Danen in specie auri' [10]) scriptam inveniri arbitror.

---

1) Apolog. c. 21.

2) Instit. div I, c. 11.

3) In epist. ad Gaud. ed. Pairs. tom. II, 534.

4) Cf. carm. III, vs. 61 sq. c. notis Goldasti a. h. l., ubi alii scriptores, qui de eadem re verba fecerunt, afferuntur.

5) Mythol. ad Catum presbyterum, ed. Staveren (mythogr. lat.) a. 1742, lib. I, p. 613.

6) In Ancorato c. 105.

7) Quibus cum verbis cf. Westermanni myth. gr. in append. XXIII: *οὗτος δὲ ὁ Ζεὺς γοητείᾳ τινὶ γέγονε χρυσὸς καὶ Δανάῃ συνεγένετο.*

8) III, 3, 5.

9) I, 157.

10) Cf. Wattenbach apud. Haupt. zts. f. d. a. XVIII, p. 457.

At ne Palaephatum personatum omittam, ille de Seriphiis in saxa mutatis fabulae ineptam ut solet interpretationem his verbis memoriae tradidit[1]: . . *λαβὼν δὲ* (sc. *Περσεύς*) *τὴν Γοργὼ κατέκοψεν, ἀπαιτησάμενος δὲ τριήρη ἐπέθηκε τῆς Γοργοῦς τὴν κεφαλὴν ἐπ' αὐτὴν καὶ τῇ νηὶ δὲ ὄνομα ἔθετο Γοργώ. ἐν ταύτῃ δὲ περιπλέων χρήματα παρὰ τῶν νησιωτῶν εἰςεπράττετο καὶ τοὺς μὴ διδόντας ἀνῄρει. οὕτω δὲ καὶ τοὺς Σεριφίους ᾔτει προςπελάσας ἐκείνοις χρήματα· οἱ δὲ ἡμέρας αὐτὸν ᾐτήσαντο, ἐν αἷς συλλέξουσι τὰ χρήματα. συναγαγόντες οὖν λίθους ἀνδρομήκεις ἔθηκαν εἰς τὴν ἀγορὰν καὶ ἐκλιπόντες τὴν Σέριφον ᾤχοντο. προςπλεύσας οὖν πάλιν ὁ Περσεὺς ἐπὶ τὴν ἀπαίτησιν τῶν χρημάτων καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν ἀγορὰν ἄνθρωπον μὲν οὐδένα εὗρε, λίθους δὲ ἀνδρομήκεις. τοῖς οὖν λοιποῖς τῶν νησιωτῶν ἔλεγεν ὁ Περσεύς, ἐπειδὰν μὴ παρεῖχον τὰ χρήματα ‚ὁρᾶτε μή, ὡς Σερίφιοι τῆς Γοργοῦς θεασάμενοι τὴν κεφαλὴν ἀπελιθώθησαν, τοῦτο πάθητε καὶ ὑμεῖς'.*

IV a.

Nunc quoniam scriptores et Graeci et Romani, quomodo in fabula Danaeia versati sint, explicavimus, paucis, quid de antiquis monumentis, quibus fabula illa illustrata sit, ex veterum relationibus ipsis eluceat, disseramus.

Ac primum quidem thalami, quo Acrisium propter oraculum illud Danaen conclusisse traditum erat, Argis sua etiam aetate vestigia exstitisse Pausanias his verbis enarrat[2]: *Ἄλλα δὲ ἔστιν Ἀργείοις θέας ἄξια· κατάγεων οἰκοδόμημα, ἐπ' αὐτῷ δὲ ὁ χαλκοῦς θάλαμος, ὃν Ἀκρίσιός ποτε ἐπὶ φρουρᾷ τῆς θυγατρὸς ἐποίησε. Περίλαος δὲ καθεῖλεν αὐτὸν τυραννήσας.* De qua re quid cogitandum sit, luce clarius est. Argis enim, ubi fabulam Danaeiam exortam esse verisimile est, posterioribus temporibus nonnulla monumenta natura idonea sicut

---

1) De incred. 32.

2) II, 23, 7, quocum loco cf. Paus. X, 5, 11.

οὐκοδόμημα illud [1]) hominum memoria ad fabulam illam relata esse, mirum non est.

Deinde quomodo Polydectes a Perseo Medusae capite obtento in saxum commutatus sit, opere quodam caelato expressum fuisse in templi Cyziceni columna undecima scriptum legimus [2]). Eandem rem in Atheniensium arce pinacothecae quae dicebatur tabula picta illustratam fuisse Pausanias [3]) auctor est.

Tum ab Artemone Danaen pictam esse ‚mirantibus eam praedonibus' Plinius memoriae tradidit, cuius de verbis iam supra disserui [4]). Sed Artemon quomodo hanc fabulam depinxerit, accuratius intellegi non potest [5]), nisi nonnullas Pompeianas parietum imagines huc recedere statuimus [6]).

Praeterea Plinius [7]) a Nicia ‚Danaen' pictam esse scripsit. Qua imagine Brunnius quanquam summam operam dedit ut fere idem repraesentatum fuisse demonstraret atque imagine Artemonis [8]), tamen equidem cum Overbeckio [9]) quid illa tabula Nicias effinxerit, certius omnino non definiri posse dixerim.

Similiter quae de Praxitile epigrammatis illis duobus scriptum reperimus

ὁ τραγόπους ὁ τὸν ἀσκὸν ἐπηρμένος αἵ τε γελῶσαι
νύμφαι Πραξιτέλους ἥ τε καλὴ Δανάη.
λύγδινα πάντα καὶ ἄκρα. σοφαὶ χέρες αὐτὸς ὁ Μῶμος
φθέγξεται ἄκρητος, Ζεῦ πάτερ ἡ σοφίη [10])

1) Iam ubi fuerit, hoc tempore non satis certe definiri potest. Cf. E. Curtii, Pelop. II, p. 361.

2) Cf. Anthol. Pal. III, 11.

3) I, 22, 7.

4) Cf. p. 41.

5) Cf. Brunn. gesch. d. gr. kuenstler II, 284.

6) Cf. Overbeck. l. l. I, p. 413, 10.

7) h. n. XXXV, 131.

8) l. l. ‚Danae in der scene, wo sie in dem kasten an das ufer von Seriphos getrieben und von fischern gefunden wird.'

9) l. l. I, p. 413. et p. 588, not. 169.

10) Anth Pal. XVI, 262.

et *Πραξιτέλης ἔπλασεν Δανάην, καὶ φάρεα Νυμφῶν λύγδινα, καὶ πέτρης Πᾶν' ἐμὲ Πεντελικῆς* [1])

ut accuratius explicemus fieri nequit [2]), nisi cum Overbeckio his versibus quod Danaen neque cum in eam pluvia aurea intraret neque cum ab Acrisio patre arca includeretur, describi manifestum sit, Danaen ad Seriphum insulam appulsam pictam esse censemus.

Tum Terentii de tabula picta aliqua versus illos supra iam attuli. Quos Ovrrbeckius [3]) quanquam ad tabulam re vera pictam non pertinuisse vix cogitari posse rectissime admonuit, tamen Terentii aetate non solum pluviam auream, sed etiam Jovem in hominem mutatum pictum esse miratur. Opponi autem possunt verba Pherecydis supra allata [4]); deinde cum ex Euripidis temporibus sententia ut supra demonstravi pervulgata fuerit Jovem auri largitione Danaen corrupisse, id ipsum tabula illa a Terentio descripta illustratum fuisse mirandi causam praebere equidem non existimo.

Denique Martialis [5]) in apophoretorum libro de Danae picta epigramma finxit; sed quae aut qualis tabula picta ab illo descripta fuerit, explanari non potest.

IV^b.

Sequitur ut iis, quae veteres scriptores de thalamo illo Danaes et de artificibus in fabula nostra versatis memoriae tradiderunt, peractis transeamus ad illam dissertationis partem, qua de operibus artificum servatis, quae ad fabulam nostram pertinent, disseramus.

Sed Overbeckius cum illo libro, quo de Jovis amoribus verba fecit [6]), fere omnes illas imagines, quae ad fabulam

---

1) Anth. Pal. VI, 317.
2) Cf. Brunn. l. l. I, p. 339. Overbeck l. l. I, p. 414.
3) l. l. I, p. 409.
4) Cf. p. 8. not. 6.
5) Cf. p. 45.
6) Gr. kunstmythologie I, p. 406. sq.

Danaeiam ipsam referuntur, tractaverit, deinde de illis, quibus Perseus Polydecten Seriphiosque lapideos reddens effingitur, O Jahnius [1]) copiosissime egerit, perpauca quae addam habeo.

Ac primum quidem in vase illo pulcherrimo Caereti [2]) fabri Danaes arcam apparantis instrumentum, quod quid sibi velit Overbeckius [2]) ignoravit, illud esse, quod nostro sermone dicitur ‚drillbohrer,' graeco *τρυπανόν*, *ἀρύς*, Heydemannus [3]) acute ostendit.

Deinde ab Overbeckio mentio nondum facta est illius amphorae Neapolitanae, qua Danae in arca cum Perseo sedens picta est: quam Heydemannus [4]) his verbis descripsit: ... ‚In einem kasten, dessen deckel nach hinten aufsteht, befinden sich eine frau (Danae) in chiton, mantel und reichem schmuck, und ein knabe (Perseus), der die chlamys shawlartig über beiden armen trägt: beide sind uur bis zum bauch sichtbar. Sie weist im gespräch mit der rechten aus dem kasten heraus, während der knabe erstaunt die rechte hand hebt.'

Tum Trendelenburgus [5]), ubi de tabulis pictis parietum Pompeianis agit, quomodo inter se vel oppositae vel nexae sint, nonnulla etiam ad Danaen pertinentia rectissime attulit.

Denique nonnullis ante annis complures novae tabulae pictae parietum ad nostram fabulam pertinentes Pompeiis repertae sunt, quas cum ipse nondum ut adspicerem mihi contigerit, verba illorum hominum doctissimorum, qui illas descripserunt, afferre liceat.

Ac de prima quidem Trendelenburgus [6]) haec profert: ... ‚Danae all' isola di Serifo. La figlia di Acrisio, vestita di bianco chitone che, staccato dalla spalla destra, fa vedere la mammella, siede sopra un sasso, avente nel gremio il fanciullo Perseo (oggi non più riconoscibile). Le sta dinanzi un

---

1) Philol. 27, p. 1. sq.
2) Cf. Overbeck. l. l. I, p. 412.
3) Arch. ztg. 1873, p. 37. sq.
4) Neapler vasencatalog nr. 3140.
5) Arch. ztg. 1876, p. 1. sq.; p. 84. sq.
6) Bullet. dell' inst. 1871, p. 180. cf. Lützow. zts. f. b. k. VII, p. 253.

pescatore in corta tunica colla verga peschereccia nella s., e tra lui e l' infelice madre evvi l' arca, nella quale Danae approdò all' isola sassosa.'

Deinde A. Mavus [1]) alteram imaginem his verbis explanavit: . . . Danae in Serifo coi piscatori. A sin. sta seduta Danae, tenendo fra le mani il piccolo Perseo. Non sono chiari tutti i particolari, pare certo però che la testa di Perseo riposi sul di lei braccio sinistro, la cui mano è visibile alla spalla sin. del fanciullo. Si vede anche il braccio d. curvato, ma non saprei decidere, se con esso ella regga i piedi del fanciullo ovvero gli porga la mamma. Il viso è quasi interamente svanito, si vede però ch'ella con profondo dolore guarda la creatura, e per un caso singolare, se non isbaglio grandemente, è stato conservato l' occhio semichiuso. Avanti a lei sta un uomo di carnagione bruna con veste corta e in testa un cappello proprio. Il braccio sin. è curvato in modo che la mano sta vicino alla spalla, sulla quale pare ch' egli porti non so che cosa, mentre la d. regge un canestro rotondo posto verticalmente avanti al basso ventre. Il suo portamento non è quello disinvolto e nobile di un eroe, ma un po' goffo, e pare certo che così il pittore abbia voluto caratterizzare la sua condizione. Fra lui e Danae, ma più indietro, si vede un' altra persona in piedi, vestita, colla mano d. sul petto, veduta di faccia ma colla testa anch' essa rivolta verso Danae. Più a d. si vede la cassa, benchè non siano chiari tutti i particolari: è bianca la parte rivolta allo spettatore, rosso, come pare, il fianco d. A d. della cassa, nell' estremità del quadro, havvi ancora un uomo seduto con veste corta. La parte inferiore del corpo è veduta di faccia, mentre anche qui la testa e la parte superiore sono rivolte verso Danae; della sua posizione si può dire lo stesso che di quella dell' uomo dal capello sopra descritto. Dietro la sua schiena è visibile un oggetto non definibile di color paonazzo, probabilmente da lui portato. Finalmente mi pare di riconoscere una persona che stando dietro la cassa vi si appoggia sopra. — Non v' è

1) Bullet. dell' inst. 1875, p. 237.

dubbio che, se questo quadro fosse meglio conservato, sarebbe il più bello esemplare di tale composizione.'

Tum Perseus cum Danae depictus est in tabula aliqua, quae in hunc modum describitur[1]: ‚‚Danae, che seduta in riva al mare tiene fra le braccia il fanciulleto Perseo avvolto nelle fasce; stanno innanzi a lei in piedi i due pescatori, uno dei quali barbato, ed in fondo la cassa.'

V.

Reliquum est, ut fabula Danaeia quid antiquissimis temporibus significaverit, paucis explicemus. De quae re plurimae atque maxime inter se contrariae exstant sententiae, quarum auctores infra enumerasse satis habeo[2]. Eam solam de Danae addere mihi liceat coniecturam, quam W. H. Roscherus, vir doctissimus, mecum per literas humanissime communicavit. Is enim Perseum, ut etiam Bursianus[3] censuit, antiquitus, qui fulminibus tonitruique imperaret deum fuisse[4], deinde divina auctoritate derogata unum de Danaorum generis auctoribus effictum, denique quo haec verisimilior esset genealogia, Danaen, Acrisii Argivorum regis filiam, propter nominis similitudinem Persei matrem factam esse suspicatur[5].

---

1) Not. d. scavi, 1876, p. 13.; cf. arch. stor. art. arch. e lett. I, p. 268.

2) Cf. Creuzer. symbol. I, p. 769; II, 717; IV, 67 sq. al., Schwenck. and. p. 211. Welcker. ad Schwenck. p. 328. Schwenk., myth. d. Gr. p. 457. Gerhard. myth. § 210, 1. § 209. H. D. Mueller. myth. I, p. 47 sq. Ares p. 45. Mitscherlich. ad Horat. c. III, 16. O. Mueller. Dor. I, p. 401. prolegg. p. 185. Kuhn. zts. VII, 108 sq. Cox, myth. I, 436. sq. Preller gr. myth.³ II, 60. E. Curt., Pelop. II, 343. Panofka. abhdlg. d. B. a. 1854, p. 575. sq. G. Hermann. opusc. II, (de mythol. Gr. antiq.). Welcker Aesch. tril. p. 387. c. not. 658. et Gerhard. l. l. p. 3. Myriantheus, die Açvins, p. 90. Hahn, sagwissensch. studd. p. 210; p. 340, tab. Prol. Pseudo-Eur. vs. 20; etym. magn. s. v. Ἀκρίσιος, alios.

3) Geogr. Grld. II, 1, 36.

4) Cf. Roscheri librum Gorgonen u. verwandtes p. 116. not. 243.

5) Cf. Pauly. realencyclop. IV, p. 613. Gerhard. myth. § 209.

Imagine autem matris carcere caliginoso comprehensae in quam pluvia aurea intret, nubem tonitrum parturientem, cum fulmine dividatur, significari censet: quam sententiam alio fortasse libello pluribus exsequar.

Fabulam autem de Polydecta Seriphoque insula a Perseo in saxa commutata e Seriphi natura saxosa [1]) ortam et coniunctam esse cum fabula vel de Medusae capite vel de Perseo, cuius fulminibus omnia obtorpescerent, a probabilitate non abhorret.

---

1) Cf. Strabon. l. c. et Palaephat. incred. 32.

VITA.

Natus sum Paulus Schwarz Schleswigiae die XIX. mensis Decembris h. s. a. LIX patre Alberto, matre Augusta e gente Hentschel, quos superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae: Primis literarum elementis imbutus Ratiboriae gymnasium per novem annos frequentavi, unde m. Aprili h. s. a. LXXVIII testimonio maturitatis munitus studiis philologicis me daturus universitatem Halensem adii, ubi per duo semestria scholis vir. ill. Erdmann, Haym, Hertzberg, Heydemann, Hiller, Keil, Pott interfui; deinde Monachii per sex menses praeceptoribus usus sum cum aliis viris ill. tum Bernays, Brunn, Bursian, Christ, K. Hofmann; tum Lipsiis per idem temporis spatium lectiones frequentavi vir. ill. Braune, E. Curtius, R. Hildebrand, Overbeck, Zarncke; denique Halas reversus scholas audivi vel audio vir. ill. Gering, Haym, Herbst, Heydemann, Hiller, Keil, Schum, Zacher. Exercitationibus autem Halis Monachii Lipsiis et philologicis et philosophicis et paedagogicis et archaeologicis et germanicis ut interessem benignissime mihi permiserunt vir. ill. Bernays, Brunn, Christ, Gering, Haym, Herbst, Heydemann, Hiller, Keil, Overbeck, Zacher, Zarncke, quibus viris optime de memeritis aeque atque ceteris praeceptoribus gratiam habeo quam maximam semperque habebo.